


De Plutarchi studiis Homericis.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA
REGIMONTANA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVII MENSIS JANUARII A. MDCCCLXXXVII.
HORA XII.
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS AMONEIT,
CAND. PHIL.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
MAX GROLLMUS, STUD. PHIL. SEM. PHIL. SOD.
ALFRED CARTELLIERI, STUD. PHIL.

REGIMONTI.
EX OFFICINA HARTUNGIANA.

ARTHURO LUDWICH

S.

Historia studiorum antiquitatis Homericorum, quae probetur nostri aevi philologis, absoluta scribi non poterit, nisi quid singuli scriptores operae Homero impenderint, peculiaribus scriptis satis pro certo iudicare antea licuerit. In pertractatione Homeri quid scriptores, qui Alexandrinorum tempora praecedunt, quid Alexandrini grammatici, quid eorum commentatores profecerint iam doctissimorum virorum dissertationibus satis accurate enucleatum est. Sed auctorum, qui post Christum natum vixerunt, studia Homerica, continua tractatione, qua rectius de singulis locis iudicetur, adhuc plane carent. Quare dissertatio de Plutarchi studiis Homericis instituta ad conficiendam studiorum Homericorum historiam non nihil conferre mihi videtur.

Fontes dissertationis.

De Plutarchi studiis Homericis dissertaturis primum nobis de scriptis Plutarchi nominatim Homericis quaerendum est.

Plutarchi qui fertur liber de vita et poesi Homeri, quod quidem satis probaverunt Sengebusch: diss. Hom. prior p. 5, Volkmann: Leben und Philosophie des Plutarch von Chaeronea Th. I. p. 120, alii, Plutarcho

plane abiudicandus est et conficitur ex duobus scriptis, quorum primum, quod *βίος Ὁμήρου* inscribitur, a Volkmanno tempori Byzantino addicitur, alterum *περὶ βίου καὶ ποιημάτων Ὁμήρου* inscriptum a grammatico tertii vel quarti saeculi post Chr. nat. videtur exaratum esse. De Porphyrio non cogitandum esse praeclare ostendit Hermannus Schrader: Porphyrii quaestionum Homericarum ad Iliadem pertinentium reliquiae Lps. 1880/82 p. 395, 465. Quare ne luxata studiorum Plutarchi Homericorum effigies perficiatur, hunc librum mittamus.

In catalogo Lampriae qui fertur (cfr. Fabricius: bibl. Graeca^3 V p. 160, Max Treu: der sog. Lampriaskatalog der Plutarchschriften, Waldenburg i. Schl. 1873.) Plutarcho vindicantur *Ὁμηρικῶν μελετῶν βιβλία δ*, quae Plutarchi esse non illo catalogo, nam eum Lampriae non esse iam satis constat (cfr. Max Treu p. 43, 51.), sed testimoniis scriptorum paene aequalium comprobatur. Sunt haec testimonia: Gellius N. A. II 8$_9$, ubi liber alter *μελέται Ὁμηρικαί* citatur, IV 11, Galenus: *περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων* lib. III 2, Schol. Il. O 625, Schol. Eurip. Alcest 1128, Etym. M. sub *ἀνεμοτρεφὲς κῦμα*, quibus fragmentis placitorum philosophicorum, rerum, verborum interpretationes continentur. Fides horum testimoniorum eo augetur, quod in scriptis certe Plutarcheis fere eaedem explicationes leguntur, sic. Schol. Eurip. Alcest. 1128 in libri de sera numinis vindicta capite XVII, Gellius II 8 in libri non posse suav. vivi rec. Epic. capite XXIII 4. Ad locum Gellii lib. IV 11 accedunt quaestt. conv. II 3, IV 5, VIII 8$_{1,3}$.

Quare cum in ceteris Plutarchi scriptis etiam reperiantur in primis explicationes locorum Homericorum cum philosophicae, tum exegeticae quae dicuntur, eaedemque consimiles illis in fragmentis quaestionum Homericarum nobis servatis, affulget spes, collectis et dispositis

notitiis in scriptis Plutarchi dispersis, effigiei quaestionum Homericarum rudibus quidem lineis restituendae.

Cetera Plutarchi scripta, in quibus non peculiariter de Homero agitur, sunt vitae parallelae et scripta moralia quae dicuntur. Scriptorum moralium magna pars addubitatur dictionis vel argumenti ob offensiones. Ne fines, quos huic disputationi constituimus, transgredi cogamur, huius quaestionis accurata disceptatione supersedebimus. Satis putamus, scripta a Westermanno, Volkmanno, aliis, in suspicionem vocata hoc loco in unum conferre, et in dissertatione nostra, cum nondum de omnibus satis constet, ea non omittere, sed cautelae signo asterisco notare. Sunt haec scripta: tractatus de metris, proverbia Alexandrina, de fluviis, de Herodoti malignitate, de nobilitate, de vitis decem oratorum, amatoriae narrationes, consolatio ad Apollonium, parallela minora, apophthegmata Laconica, instituta Laconica, Lacaenarum apophthegmata, de fato, placita philosophorum, de musica, de vitando aere alieno, apophthegmata regum et imperatorum, convivium septem sapientium, de puerorum educatione; librum de communibus notitiis in suspenso reliquit Volkmannus, librum de garrulitate defendit Volkmannus a Benseleri offensione et librum de amore prolis a Doehneri suspicione.

Restant meri fontes disputationis *μελετῶν Ὁμηρικῶν βιβλία δ*, vitae parallelae, scripta moralia in addubitatis non allata, quae in editionibus Wyttenbachii (Oxf. 1795.) Duebneri (Paris 1868.), nonnulla in Hercheri editione leguntur.

Iam ad propriam quaestionem meam perveni, qua dispersas Plutarchi de Homero annotationes in unum collatas et dispositas et cum studiis in Plutarchi nostraque aetate Homero adhibitis comparatas proferre mihi in animo est.

De Plutarchi studiis Homericis.

Locorum Plutarchi ad Homerum pertinentium tria sunt genera, primum, e quibus de Homeri vita et scriptis, alterum, e quibus de Plutarchi carminum Homericorum interpretatione, tertium, e quibus de textus Homerici a Plutarcho adhibiti forma ac pretio iudicari potest.

I. De vita et scriptis Homeri.

§ 1. De vita Homeri.

Quae veteres de vita Homeri tradiderunt, quod quidem arguunt testimonia scriptorum nobis servata vitaeque Homeri (cfr. Westermann: *βιογράφοι*, Seng. II p. 6 sqq.), Simonidis et Pisistrati tempora vix excedunt et vulgari famae doctisque rationibus debentur (cfr. Seng II 3, 4, 6, 21.). Hae fabulae simul cum carminibus Homericis per saecula propagatae sunt et inprimis conservatae a doctis grammaticis (Seng. I 214, II 3, 4). Eas Plutarcho homini in omni litterarum genere versatissimo non ignotas fuisse, cum per se ipsum consentaneum est, tum locis ex eo collectis comprobatur. Multas urbes Homerum sibi vindicasse (Seng. II 12, 13, 14) narrat Plutarchus (de exilio 13), addita ratione, quod multas urbes laudasset et, ut ex connexu intelligitur, in multis vixisset. Ium et Smyrnam nonnullos propterea admirari, Plutarchus refert (Sertor. 1), quod altera natales, altera mortem Homeri suscepisset. E vitis Homeri eruitur, Smyrnam patriam Homeri nominatam esse a Pindaro (Seng. I 166) et Stesimbroto (Seng. II p. 3), Ium a Bacchylide (Seng. I 170), Timomacho (Seng. I 95), Aristotele (Seng. I 77, II 5). Io in urbe Homeri tumulus ostendebatur, nec erat, qui Ietis eum honorem abiudicaret (Seng. II 53).

Hesiodum et Homerum aequales fuisse et inter se certaminibus decertasse Plutarchus duobus locis testatur

famam omnibus notam. Sic (*VII sapient. conv. 10) narrat Plutarchus, in funere Amphidamantis Chalcidensis Hesiodum Homerum vicisse et tripodi honoratum esse.

In quaestt. conviv. V 2 6 grammaticorum trita narratio affertur, in funere Oeolyci Thessali et Amphidamantis Chalcidensis Homerum et Hesiodum poetarum certaminibus interfuisse.

Originem ducit haec fama e loco Hesiodi opp. 657 et ex epigrammate, quod Hesiodus tripodi inscripsisse dicitur (Seng. II 10, 11 et 18, 19). Hoc epigramma Varroni iam notum erat, ut perspicitur ex loco Gellii III, 11. Sunt alia testimonia huius epigrammatis certamen Hesiodi et Homeri (Westerm. *βιογρ.*), Anthol. Pal. 7, 53, Dio Chrysost. 2, 11, Procli vita Homeri (Seng. II 10).

De tempore, quo vixit Homerus, quae veteres tradiderunt, e vulgari fama doctisque rationibus fluxerunt. Plutarchus (Lycurg. 1) Timaei coniecturam affert, duos diversis temporibus Lycurgos Spartae fuisse, priorem non diu post Homerum vixisse vel ipsum vidisse. Aequales Homerus et Lycurgus appellantur etiam ab Ephoro (Seng. I 101) et a Sosibio (Seng. I 14, 47, II 78, 82). Ex vulgaribus Laconum narrationibus sine dubio haec coniectura suborta est.

Addam, ne quid desideretur, duos locos. Altero (Camill. 19) Plutarchus refert, Ephorum, Callisthenem, Damastem, Phylarchum Troiae captae diem mensis Thargelionis vicesimum quartum prodidisse. Altero (De Iside et Osiride 46) Plutarchus inanem narrationem affert, Zoroastrem quinque milibus annorum antiquiorem bello Troiano exstitisse.

§ 2. De carminum Homericorum propagatione.

Utrum Plutarchus Platonem (Seng. I 126, II 23) et Alexandrinos, inprimis Zenodotum et Aristarchum

(Seng. I 22, 24, 151, 152, 153, II 23) secutus Homero nihil aliud nisi Iliadem et Odysseam addixerit, an quod vulgo credebatur (Seng. II 6), hymnos aliaque epica carmina ad Homerum retulerit, plane diudicari non potest, cum afferat hymnorum locos in scriptis suis (hymn. in Apoll. v. 388—400 in libro de sollert. anim. XXXVI 1 hymn. in Herm. v. 187 in quaestt. conv. VII 1 vocabulo *ἐρισφάραγος*, hymn. in Artem. v. 2 in scripto de solert. aminal. IX 5 vocabulo *ἐλαφηβόλος*, epigr. *εἰς οἶκον τῶν φρατόρων* v. 5 in Amator. 18) nec vero auctore nominato.

De tempore, quo Homerica carmina in Graecia innotuerunt, veteres nihil certi tradiderunt.

Plutarchus (Lyc. 4) profert narrationem, Lycurgum ex Creta in Asiam profectum ibi in Homeri carmina, a posteris Creophyli conservata, incidisse eaque ob praecepta atque gaudia insiticia cupide exscripsisse atque collegisse et in Graeciam adportasse, ita ut quae antea obscura et dispersa in Graecia versarentur carmina tum a nemine fere ignorarentur. Eiusedem narrationis sunt testes (cfr. Wolf. Prolegg. cap. XXXII, Seng. I p. 83, II p. 51, 52, 82, 86) Heraclid. Pont. Frgm. *περὶ πολιτειῶν*, ubi in Samo insula Lycugrus carmina accepisse fertur, Dio Chrys. or. II p. 87, Plut. Lyc. 4, Aelian. V. H. XIII. 14. (De Creophyliis cfr. Seng. I pag. 45, 119.).

Plutarchi explicationes omissis, quae de scriptis a Lycurgo carminibus et de morali eorum argumento ex ingenio suo Plutarchus addidit, quadrant ad Heraclidis narrationem. Pro Samo si Asiam posuit Plutarchus, Ephorum videtur secutus esse, cuins vestigia etiam arguunt capita 3—5 (cfr. Haug: Die Quellen des Plut. in d. Lebensbeschrbg. der Griech. p. 24). Quare ex Heraclidis Pontici atque Ephori lectione Plutarchus illam narrationem hausisse videtur. Historiae veritate eam carere

Plutarchus ipse ostendit Lyc. cap. 1, ubi de Lycurgo nihil pro certo dici posse affirmat.

Solonem et Pisistratum, quos de Homero bene meritos fuisse veteres crediderunt, Plutarchus affert Homeri interpolatores.

In vita Solon. c 10 Plutarchus famam refert, Solonem, ut Salaminem insulam a Megarensibus petitam, civibus suis vindicaret, versum Il. B 558

στῆσε δ᾽ἄγων ἵν᾽ Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες

navium recensioni inseruisse. Quam existimationem Atheniensis refutasse et alias Soloni causas subiecisse, quibus Hereas Megarensis obiurgasset. Plutarchi narratio duas populares fabulas comprehendere videtur alteram Atheniensium, alteram Megarensium. Alii eam interpolationem Pisistrato imputaverunt (cfr. Seng. II p. 108, 109), Alexandrini grammatici, in primis Aristarchus versum 558 obelo notaverunt non ob eam fabulosam narrationem, sed quod alii versus ei repugnabant, *οὐ γὰρ ἦσαν πλησίοι Αἴαντος Ἀθηναῖοι*, et quod codicum fide carebat (cfr. Ludwich II p. 397 sqq.). Quod H. Flach (Pisistratus und seine litterarische Taetigkeit, Tübingen 1885) et Ludwich (Aristarchs hom. Textkritik aus den Frgmtt. des Didymus dargestellt 1884/85 Bd. II p. 397—404) comprobaverunt, iam satis arridet, totam hanc narrationem nihili esse faciendam.

Solonem in carminibus Homericis versatum fuisse colligi protest etiam ex loco Plutarchi (Solon c. 30), ubi Pisistrato, qui se ipse obtruncaverat, ut cives deciperet, Ulixis exemplum vulneribus voluntariis sociorum saluti prospicientis obicit.

In vita Thesei c. 20 Plutarchus Hereae Megarensis, viri plane ignoti, narrationem affert, Pisistratum in Homeri Necyiam (Od. XI) versum 630

Θησέα, Πειρίθοον, θεῶν ἐρικύδεα (pro *ἀριδείκετα*) *τέκνα* in gratiam Atheniensium inseruisse. Ad Pisistrati redactionem quae dicitur num Hereas hanc interpolationem retulerit, perpici non potest. Sed haec tota narratio praesertim in ore adversarii Atheniensium ad irritum cadit (cfr. Ludwich II p. 448).

Propagationis carminum Homericorum, quae inde ab Solonis et Pisistrati temporibus in omnibus Graeciae civitatibus mira industria celebrabantur, imago clarissime inlustratur locis quibusdam e Plutarcho haustis.

Locus inprimis nobilis legitur Plut. Alex. 8, ubi Onesicrito auctore nominato, Plutarchus refert, Alexandrum Magnum Iliadis exemplar ab Aristotele recensitum secum portasse, cui a narthecio cognomen *ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος* factum esset, semperque id (cfr. c. 26) una cum pugione sub pulvino habuisse. De hac editione qui tradiderunt (Plin. h. n. 7, 30, Strabo XIII p. 594, Eustath. Il. 1), Aristotelem non nominant, ita ut Plutarchi fides in suspicionem vocetur. Alexandrinorum lectiones Aristoteli tributae ex aliis eius scriptis fluxerunt, cum editionis *ἐκ τοῦ νάρθηκος* in scholiis nusquam mentio inveniatur (cfr. Wolf. Proleg. XL, Seng. I 70, 71, Ludwich I 4, II 432/433).

Alcib. 7 et* regg. et impp. apophth. Alcib. narratur, Alcibiadem grammatico colaphum dedisse libro Homerico carenti et alium, dicentem, se Homerum habere, quem ipse emendasset, obiurgasse, quod litteras doceret, cum iuventutem informare posset.

Hae narratiunculae, quae per se nihil valent, quod etiam aliunde colligitur (cfr. Seng. I 194—196) illustrant, belli Peloponnesiaci temporibus in scholis Homerum tractatum et a praeceptoribus nonnunquam emendatum esse (cfr. Wolf. Prolegg. c. XXXVII, Ludwich II p. 431).

Praecipuo magnum poetam amore magni viri am-

plexi sunt et libros et personas et sententias eius mirum quantum adamaverunt, ita ut heroas ab eo laudatos exempla virtutis sibi ponerent et versus eius in magnis et memorabilibus rebus libenter in ore haberent. Sic (Philop. c. 4) Philopoemen ex Homero exempla probitatis sumpsisse dicitur. Alexandrum Magnum Iliadem in expeditionibus secum portasse, supra commemoravi. 'Iam si verum est, quod Alexandrini Heraclidem secuti asserunt, non sane otiosum se ei neque consilii dandi negligentem militiae comitem Homerus praebuit.' Nam insomnio quodam versibus Homericis (Od. IV 354 sqq.) condendae urbis Alexandriae locum Alexandro designatum esse tradit (Alex. 26).

'Achillis tumulum coronans fortunam Achillis laudavit, cui et viventi amicus fidelis et mortuo insignis praeco obtigisset (Alex. 15).' 'Eundem ferunt, cum videret nuntium gaudio plenum ad se accurrere dextramque porrigere, dixisse: Quid mihi nunciaturus es? Homerumne revixisse? putabat enim suis rebus nihil deesse praeter famae in posteros commendationem (de profectibus in virt. 16).' 'Inter circumeundum et res urbis Troiae perlustrandum interrogatus, velletne lyram Paridis videre, nihil se illam curare dixit, sed Achillis citharam quaerere, qua is gloriam praeclarorum virorum et facta cecinisset (Alex. 15, cfr. de Alex. fort. aut. virt. I 10).' 'Lysimachus, Alexandri comes, ipse sibi Phoenicis, Alexandro Achillis, Philippo Pelei nomen accommodans probabatur (Alex. 5).' Versus Homeri Alexandro semper praesto erant. Sic sagitta ictus, id quidem, dicebat amicis, quod de vulnere effluit, sanguis est non ichor (Il. V 531), (Alex. 28, cfr. *regg. et impp. apophth. Alex. 16, de Alex. fort. aut. virt. II 9). Praecipue amavit versum Il. III 179

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής

(de Alex. fort. aut. virt. I 10). Denique Plutarchus narrat, Alexandrum eo, quod Asiam ad humanitatem adduceret, effecisse, ut Homerus ubique legeretur.

'Olympiae tritum illud ab Aemilio Paulo pronuntiatum ferunt, a Phidia Iovem, qualem Homerus eum descripsisset, effectum esse (Aemil. Paul. 28).' Cato maior de Scipione minore praedicat illud Od. X 495 (Cat. mai. 27, praecept. ger. r. p. 10, *regg. et impp. apophth. Scip. min.). Pyrrhus in Lacedaemonis expugnatione versum Il. XII 243 affert (Pyrrh. 29), Clitomachus pronuntiat Od. XVII 487 (Pyrrh. 13), Callisthenes Il. XXI 107 (Alex. 54), Phocion Od. IX 494 (Phoc. 17), Scipio Africanus de Graccho mortuo Od. I 47 (Tib. Gracch. 21), Dellius, Antonii legatus Cleopatram appellans Il. XIV 162 (Anton. 25), Arius, Il. II 204 (Anton. 82), Bruti amicus Il. VI 429 sqq. et adicit Brutus Il. VI 491 sqq. (Brut. 23). Idem Brutus affert v. Il. XVI 849 (Brut. 24), Marcus Favorinus Il. I 259 sqq. (Brut. 34).

Theocritus sophistes de Graecis in Alexandri Magni triumpho purpureas vestes induere iussis facete dixit: Homeri *πορφύρεον θάνατον* (Il. V 83) se non iam ignorare (*de educat. pueror. 14). Antonii amici Antonium vituperantes afferunt v. Od. X 329.

Magna Homeri propagatio illustratur etiam illa narratiuncula (*regg. et impp. apophth. Hiero): 'Hiero Xenophani Colophonio aegre se duos servos alere quaerenti: Atqui Homerus, inquit, quem tu vituperas, mortuus etiam amplius decem milia alit.'

Poetas, philosophos, artifices argumenta ex Homero sumpsisse Plutarchus tradit. Sic in scripto non posse suav. viv. sec. Epic. XI, Niciam Necyiam (Od. XI) pinxisse, de aud. poet. 2, Aeschylum ex fabula Il. XXII 215 sqq. tragoediam *Ψυχοστασίαν* fecisse (cf. G. Her-

mann opsc. VII p. 343), de Isid. et Osirid. 48, Heraclitum Homeri versum Il. XVIII 107 vituperasse, de commun. notit. 445, Callicratem et Myrmecidem, viros artificiosissimos in sesamo versus Homericos scripsisse.

Etiam parodiam loci Homerici nobis servavit Plutarchus *de vitand. aere alien. 7 (cf. Seng. I p. 204 sqq.), ubi versus Cratetis philosophi cynici (cf. Diog. Laert. Crates VI 5) afferuntur in similitudinem versuum Od. XI 581 sqq. facti:

Καὶ μὴν Μίκκυλον εἰσεῖδον
τῶν ἐρίων ξαίνοντα, γυναῖκά τε συγξαίνουσαν,
τὸν λιμὸν φεύγοντας ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι.

Homeri versus Graecos quasi semper in ore habuisse, colligi potest ex Plut. quaest. conv. IX 1, ubi Plutarchus in versibus opportune aut secus pronuntiatis nonnullos etiam Homericos affert.

Auctoritatem Homeri in rebus politicis arguunt narratiunculae de Agathoclis Corcyraeorum (de sera num. vindict. 12) et Ithacorum (*regg. et impp. apophth. Agathocl.) cavillatione, porro fabula de versu Il. *B* 558 a Solone navium catalogo inserto.

Ab heroibus Homericis originem ducere apud antiquos in honore erat. Quare versum Od. XI 630, qui Atheniensium gloriae invidebant, a Pisistrato interpolatum contenderunt (cfr. Thes. c. 20). Versu Il. III 144 Athenienses comprobaverunt Aethram Thesei matrem cum Helena Troiam venisse. (Thes. c. 34).

In vita Cimon. c. 7 narratur, Cimonem apud Eion Hermen posuisse titulis inscriptum, quibus Athenienses suboles Menesthei, herois Homerici (Il. II 552) praedicarentur (cfr. Seng. II 110).

Quanti veteres Homerum aestimaverint, etiam perspici potest ex iudiciis aliorum a Plutarcho servatis ipsiusque Plutarchi, quae hic subiungam.

Homerus ab antiquis poeta *κατ' ἐξοχήν* iudicatus est (quaestt. conv. IV 4_2), qui nihil curat, nisi magna negotia (*regg. et impp. apophth. Antig., quaestt. conv. IV 4_2), cuius poemata ob argumenti bellicosi amplitudinem Cleomenes Lacedaemoniis convenire dicebat (*apophth. Lacon. Cleom. Anax. f. 1). Diogenianus de Homeri facundia praedicat (de Pythiae oraculis 5). 'Aristoteles solum Homerum ait moventia facere nomina, ob efficacitatem (de Pythiae orac. 8).'

Plutarchus ipse de Homero iudicat (Timoleon 36): 'Homeri poematis praeter reliquam gratiam et vim hoc quoque inest, ut prompte et nulla cum difficultate effecta videantur.'

(de profect. in virt. 9): 'Homerus tantum fiduciae in sua posuit facultate, itaque abundavit confidentia, ut primum etiam operis versum legibus carminis non satisfacientem intrepide posuerit.'

(de garrulitate 5): 'Inter ea, quae de Homero dicta sunt, hoc omnium est verissimum, solum hunc poetam fastidia hominum evitasse, novum semper et ad captandum gratiam florentem: et tamen hoc de sese pronuntians (Od. XII 452)

Ἐχθρὸν δέ μοί ἐστιν,
αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν,

fugit atque aversatur insidiantem cuivis sermoni satietatem, auditorem ad alias ex aliis narrationes trahens ac novitate fastidium amoliens.'

(de exilio 13) Homerum appellat sacrum illum et divinum Musarum spiritum, Phrygiae exornatorem pugnae.

(non posse suav. vivi sec. Epic. X) Plutarchus: 'Cogita,' ait, 'quem morsum sentiamus, ubi Iliadis postremam partem legimus, veluti templo clauso aut theatro desiderantes fabulae reliquum.' Addit (§ 4 et 5), in carminibus Homeri tantam exhilarandi ingenii materiem

inesse, ut legens Ulixis errores facile quis cibi potionisve oblivisceretur; quod accidisse Niciae, Homeri Necyiam pingenti (XI 2). 'Quare ut a voluptatum illecebris se defendant senibus Homeri tractationem commendandam esse (XII 4).'

§ 3. De carminum Homericorum pronuntiatione.

Carmina Homerica Ilias et Odyssea iam sexto vel septimo a. Chr. n. saeculo in poetarum certaminibus a rhapsodis pronuntiabantur (cfr. Seng. I p. 41, 128, 147. II 26, 113, 117). Huic carminum Homericorum pronuntiationi rhapsodos hymnos in deorum venerationem ab ipsis factos praemisisse in dialogo spurio *de musica c. 6 ex Terpandri procemiis colligitur (cfr. Wolf. Prol. XXV annot. 78). *De musica 3 Heraclidis Pontici narratio affertur, Terpandrum, Homeri imitatorem (*de musica 5), suis et Homeri carminibus modos adiecisse versusque in certaminibus cecinisse (cfr. Seng. I 79 sqq.). Quod idem Heraclides tradit, Demodocum Corcyraeum veterem musicum fuisse, qui carmine expresserit Ilii excidium et Veneris cum Vulcano nuptias, et Phemium Ithacensem de reditu eorum, qui cum Agamemnone Troia revertissent, scripsisse, nihil aliud est, nisi coniectura ex Od. α 325, ϑ 266, 459 orta (cfr. Seng. I 81, 90, 91).

Apparet ex eis, quae dixi, Plutarchum de Homeri vita, de origine et fatis poematum eius neque sponte quaesivisse, neque opinionem certam sibi finxisse, sed quae Pindarus, Stesimbrotus, Bacchylides, Timomachus (cfr. Sertor 1), quae Ephorus, Sosibius (cfr. Lycurg. 1), quae Callisthenes, Damastes, Phylarchus (Camill. 19), quae Aristoteles, Heraclides Ponticus (Lycurg. 4), Dicaearchus (non posse suav. vivi sec. Epic. XI), quae Aristoxenus et Aristophanes Byzantius (non posse suav. vivi sec.

Epic. XI) de his rebus sensissent, quorum tum sententiae, ut ex vitis colligitur, a nemine fere ignorabantur, ex scriptis eorum sine ullis scrupulis criticis accepisse et propagasse. Quare hi loci Plutarchi nihil aliud valent, nisi quod veterum nonnullorum de Homero opiniones nobis tradunt.

Ex dispersis Plutarchi locis sententia eius enucleari potest fere ea, Homerum carmina sua in Jonica Asia contexuisse, per multas terras pervagatum poetarum certaminibus interfuisse; carmina eius usque ad Lycurgi tempora in Graecia fere ignota a Lycurgo collecta et scripta ex Asia Spartam portata, Solonis et Pisistrati temporibus iam interpolata, belli Peloponnesiaci aetate ab omnibus Graecis adamata esse.

II. De Plutarchi carminum Homericorum interpretatione.

Ut a morum perversitate sub primorum imperatorum Romanorum dominatu inveterata ad pristinam virtutis integritatem cives suos revocaret (cfr. Volkmann I cap. 1), Plutarchus in veterum philosophorum, historicorum, poetarum studium toto pectore incubuit et quae ex iis praeclara exempla, sublimiter cogitata imbiberat, popularibus scriptis civibus suis ad imitandum commendare studuit. Praecipuo ob hanc rem amore Homerum amplexus est, in quo exemplorum densissimam copiam inveniebat, in cunisque sententiis quasi summam omnis sapientiae conclusam videbat, praesertim cum criticae artis minime curiosus singulos Homeri locos e connexu solutos ad suae aetatis opiniones redigeret.

§ 1. De interpretatione theosophica.

Religionis Homericae in interpretatione iam ante Plutarchum veteres grammatici et philosophi mirum

quantum elaboraverant. Aestimandi Homeri ex temporis condicione vera ratio nisi in Aristarcho, in nullo fere antiquitatis critico reperitur. Ceteri cum priscas res ad suas consuetudines atque libidines sibi fingerent et religionem in Homero cum rationis legibus congruentem quaererent nec vero invenirent, alii, ut Pythagoras, Xenophanes, Heraclitus (cfr. Wolf. Prolegg. c. XXXVI, Lobeck. Aglaoph. p. 155 sqq.) Homerum impium atque irreligiosum appellarunt, aut religionem eius repudiaverunt, ut Plato et Epicurei, alii, qui, sapientiae fontem Homerum iudicare a pueris edocti eum nihil impium cogitare posse arbitrarentur, nec vero respicerent, simul cum temporum commutatione etiam religiositatem commutari, ad id remedium confugerunt, ut aliud dixisse, aliud sensisse Homerum statuerent, involucra merae doctrinae mythologicas eius fabulas iudicantes, quibus, quasi foliorium ornamento nudum philosophicae doctrinae arborem subdidisset, ut quae sensibus perciperentur, animis facilius inhaererent. Eam mythorum interpretationem allegoricam adhibuerunt Theagenes Rheginus, Anaxagoras Clazomenius, Metrodorus Lampsacenus, Stesimbrotus Thasius, alii, sophistae atque Aristoteles non repudiaverunt. Stoici eam vi ac ratione perhibuerunt et physico-allegorica interpretatione et etymologicis nugis, quas ridet Plutarchus, absurde antiquas fabulas deformaverunt, in quibus Zeno, Cleanthes, Chrysippus. Neo-Platonici, qui veterem religionem philosophicis rationibus comprobare studuerunt, ad eam interpretationem libenter confugerunt. Quo modo in Homero suam quisque religionem reperit, nullo veritates iure, quod arguunt iam Senecae verba Epp. 88: 'Apparet nihil horum esse in illo, cui omnia insunt.'

Plutarchus eorum philosophorum scripta non ignorabat. Homeri adversarios affert Xenophanem (*regg. et impp. apophth. Hiero), Heraclitum (de Iside et Osir. 48),

Metrodorum (non posse suav. vivi sec. Epic. II 4 et XI), commemorat Aristotelis, Heraclidis, Dicaerchi προβλήματα Ὁμηρικά (non posse suav. XI); stoicorum, Cleanthis et Chrysippi ethico-allegoricas interpretationes Plutarchus ridet (de stoicorum repugnant. XXXIV 5, cfr. c. XLVII), item physico-allegoricas (de aud. poet. 4) et Cleanthis nugas etymologicas (de aud. poet. 11).

Ex harum interpretationum notitia Plutarchus suo iure colligere sibi videbatur, Homerum aliud dixisse, aliud cogitasse, praesertim cum ad eandem opinionem etiam philosophicis rationibus adduceretur. Nam Plutarchi religio ex nativa Homeri pietate et philosophicis Platonis et Neo-Pythagoreorum placitis concreta, deos in hominum similitudinem sibi finxit, sed eo ab Homeri religione abhorruit, quod deos morales et hominibus benevolos credebat, cupiditatibus et affectibus obnoxios daemonas esse statuebat. Quare cum suam in Homero quaereret religionem Plutarchus, reperire non potuit, nisi locos, ubi de diis nihil indignum dicebatur, ab Homero cogitatos, indignos non cogitatos, sed poeticis rationibus fictos explicabat, communi antiquitatis errore adductus, non solam ψυχαγωγίαν, sed διδασκαλίαν et ψυχαγωγίαν a poetis affectari (cfr. Lehrs Arist. [2] p. 276 sqq.).

Opiniones de diis, quos ipse Homerus crediderit, Plutarchus significat eas, quae cum deorum dignitate, cum ratione, cum veritate conveniant (de aud. poet. 6): deos beatam vitam degere in sede immota et aeterna hilaritate circumfusa (Pericl. 39, de aud. poet. 4, de communib. notit. XXXI 2), immortalitatem eorum eo comprobari, quod cibis hominum non egeant (*sept. sap. conv. 16), officio peculiari quemque eorum fungi (de tranquill. 12), animi sublimitate super homines elatos (de commun. notit. XXXI 2) eos sapientiae potentiaeque gradu inter se differre (de Isid. et Osirid. 1) et Iovi pri-

mum ob id locum concedere (de aud. poet. 11, de Isid. et Osir. 51, quaestt. Plat. 9), orbis terrarum possessionem eos inter sese dividere (Pomp. 53), in cena regulas quasdam observare (quaestt. conv. I 24), homines ad egregia facinora incitare (de aud. poet. 4), divino eos flatu implentes (Coriolan. 32, de virtut. moral. 12). In primis cum regibus dei consuitudinem ineunt, ut Minos Iovis discipulus nominatur (Demetr. 42, cum principib. philos. 1), amant prudentes et cordatos viros adiuvare, ut Minerva Ulixem (de aud. poet. 11), Apollo pium sagittarium (quaestt. conv. VIII 44), provinciam cuique pro facultatibus attribuunt (de Pyth. oracul. 22). Quare etiam Iuppiter μειλίχιος nominatur, Mars vero daemon μαιμάκτης (de cohibenda ira 9).

Suo iure ex illis Homeri locis Plutarchus colligere sibi videbatur, Homerum puram cum philosophicis suae religionis placitis congruentem religionem credidisse. Accedit, quod nativum poetam, qui quas finxit fabulas simul crederet, Plutarchus intelligere non potuit, sed Homerum ex aequalium poetarum ingenio aestimavit, qui mythicas fabulas colorandae poeticae orationis pigmenta adhibebant vel doctas sententias allegoriae sub involucris pronuntiabant.

De diis Homerum nonnunquam perverse cogitasse, sed nunquam absurde vel impie. Cum mortem veluti sepulturae privationem immodice deploret non rectam, sed suam Homerum sententiam pronuntiare (de aud. poet. 2), item, cum hominum bella deorum in manibus posita esse dicat (de aud. poet. 2), quippe in quibus rebus etiam philosophi ipsi fluctuent. Sed paulo post etiam eiusmodi locis excusationem affert Iovem fatum esse interpretatus (de aud. poet. 6).

Impie si quod dictum in Homero legatur, id Ho-

merum non credidisse, sed poeticis rationibus commotum finxisse.

'Nonnulla ad audientium voluptatem commentitus est Homerus. Sic ubi inducit Neptunum minitantem, se inferorum domus detecturum, Achillem et Agamemnonem in Orco vivendi cupiditate manus viribus cassas protendentes, quas fabulas Homerus ipse mulieribus dignas significasset versibus Od. XI 223, 224

Ἀλλὰ φόωσδε τάχιστα λιλαίεο, ταῦτα δὲ πάντα
ἴσθ᾽, ἵνα καὶ μετόπισθε τεῇ εἴπῃσθα γυναικί,

porro fabulam Psychostasiae, descriptiones inferorum portentorum, ardentium fluminum, locorum horribilium, terribilium suppliciorum, quas neque Homerus, neque Pindarus, neque Sophocles crediderint (de aud. poet. 2).'

'Poesis ad animos percellendos varietate utitur multiplicique vicissitudine. Quare poetae ne deos quidem, cum ii in humana incidunt negotia, affectuum vacuos et errorum sinunt esse (de aud. poet. 7). Quo fit, ut Homericus iste Iuppiter non usque adeo longe oculos a Troia divertat, in Thraciam et Nomades Istri accolas intuens (de defect. oracul. 30), ut Homerici dei inimicitiarum, irarum, aliorumque affectuum pleni pronuntientur (de superstit. 10, Pericl. 39, de aud. poet. 4).' 'Itaque etiam philosophi poetarum istas Eridas, Litas non admittunt, neque Terrorem et Metum volunt deos aut filios Martis esse. Rursum poetae et legumlatores neque audire, neque intelligere philosophos possunt, quando hi ideas quasdam, et numeros, et unitates, et spiritus pro diis ponunt (Amator. 18).'

Aliae fabulae ad docendum affictae sunt. 'Philosophi quidem exempla ad cohortandum et institutendum sumunt ex rebus veris aut cognitis: at poetae idem hoc agunt, exempla ipsi fingentes, ac fabulas proponentes.' Huc spectant fabulae de adulterio Martis et Veneris, de

fraude Iunonis, quas allegoriis nonnulli detorquent ac pervertunt, quasi non ipse interpretationem poeta addiderit. 'Nam in Veneris fabula eos qui animum advertunt, docet, musicam pravam et improbas cantilenas sermonesque de rebus nefariis mores depravare ac turpificare efficereque vitam effeminatam, et homines luxum, mollitiem, consuetudinemque mulierum amantes. Idcirco Ulixem etiam facit citharoedo praecipientem (Od. VIII 492)

Ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι, καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον

pulchre docens, musicos et poetas argumenta a prudentibus et cordatis repetere debere. In Iunonis autem fabula optime demonstravit, consuetudinem mulierum cum viris gratiamque, quam eae veneficio et praestigiis ac dolo sibi conciliant, non modo in diem durare, ac fastidiosam esse et instabilem, sed in odium praeterea inimicitiamque mutari, postquam voluptas evanuerit (de aud. poet. 4).' 'Poetarum quoque repugnantiae inter se ex contrariis partibus fidem extollentes, satis ad nocendum momenti esse non sinunt. Quod si quae absurde dicta sunt, neque statim soluta, ea refutanda sunt iis, quae in contrariam partem ab iisdem alibi dicta sunt. Statim adversus ea, quae Homerus de diis, qui ab aliis diis deiciuntur, sauciantur ab hominibus, deque illorum inter se discordiis et odiis fabulatur, ita occines: sentis profecto melius et loqueris alibi rectius haec ipsa, videlicet

Θεοὶ ῥεῖα ζώοντες

et *Τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.*

et *Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι,*
ζώειν ἀχνυμένοις, αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσίν.

Hae enim sanae sunt et verae de diis opiniones: ista ad animos hominum percellendos conficta (de aud. poet. 4).' Quaerit Plutarchus continuam et concinnam in Homero de diis opinionem, quae in nulla religione

inveniri potest. Nam omnium temporum omniumque populorum religiones repugnantiis abundant, quarum nullam religiosi homines, quippe quae libidini eorum conveniant, permultas homines philosophice inquirentes vident.

Homeri in verbis moralem sensum Plutarchus cum aucupetur, non modo Ulixis verba citharoedum appellantis sine causa in sensum moralem convertit, sed etiam contortam accipit versuum Il. XXIV 525 sqq.

Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν
ζώειν ἀχνυμένοις.

interpretationem, Homerum non simpliciter omnibus hominibus miseram vitam a diis fatali necessitate destinatam dicere, sed stultis ac imprudentibus, quos, pravitatis suae causa miserabiles cum sint, miseros eum appellare et aerumnosos (de aud. poet. 5). Mirum quanta socordia veteres ad suam libidinem poetarum locos explicaverint.

'Alius porro modus est, quo, quae in poematis suspecta sunt, in meliorem partem vertuntur, qui ex usu vocabulorum pendet. Deorum nominibus poetae utuntur aliquando, cum de ipsis iis intellegi volunt, aliquando commune vocabulum facultatibus iis tribuentes, quae ab iis proficiscuntur. Nomine Martis aes intelligendum est in illis Homeri:

Τῶν νῦν αἷμα κελαινὸν ἐΰῤῥοον ἀμφὶ Σκάμανδρον
ἐσκέδασ᾽ ὀξὺς ἄρης.

Ipso etiam Iovis nomine Homerus aliquando ipsum Deum, nonnunquam fortunam, saepe etiam fatum nuncupat. Cum enim dicit

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων,

et *Ὦ Ζεῦ, τίς εἶναί φησι σοῦ σοφώτερος;*

ipsum deum vocat. Cum vero in causis eventorum Iovum nominat et dicit

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψε·
Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή,
fatum intelligit. Non enim putat deum poeta hominibus mala struere, sed rerum necessitudinem recte indicat, quod scilicet fato prosperitas et de hostibus victoria destinata sit civitatibus, exercitibus et ducibus, si modestiam servent, sin vero in motus animi perturbatos et peccata impulsi inter se dissideant et tumultuentur, his itidem fatum esse, ut perturbentur, in probra corruant, misere denique intereant. Hac ratione corrigi debent multa ista, quae absurde dicta de Iove videntur, ut hoc

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
κηρῶν ἔμπλειοι, ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν·

item *Ὅρκια μὲν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐκ ἐτέλεσσεν,*
ἀλλὰ κακὰ φρονέων τεκμαίρεται ἀμφοτέροισι·

item *Τότε γάρ ῥα κυλίνδετο πήματος ἀρχὴ*
Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι, Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,

haec de fortuna et fato interpretabimur: quas causas neque ratiocinando possumus assequi, neque omnino in nostra sunt potestate. Ubi vero consentaneum, decorum et probabile est, ibi proprie poni nomen dei iudicabimus (de aud. poet. 6).'

Fabulam de doliis in Iovis limine positis Plutarchus compluribus locis tractat a deo ad daemonem referens fata adversa (Aemil. Paul. 34), vel ad homines ipsos (de exil. 4, de aud. poet. 5), in quorum animis dolia ista posita sint (de tranq. 14). Opinionem, hominibus mala non a deis, sed a daemonibus parari, Plutarchus Homero tribuere potuit, quamvis Homerum vocabulis *θεὸς* et *δαίμων* sine discrimine uti non ignoraret (de defect. oracul. 10). Nam Homerum de diis mala non credidisse, sed poeticis rationibus iis affinxisse, Plutarchus sibi persuasum habuit, praesertim cum ob-

servasset, Homerum vocabulis *θεοειδής*, *ἀντίθεος*, *θεῶν ἄπο μήδε' ἔχοντες* insigniter bonos viros appellare, appellatione autem genii i. e. daemonis, promiscue uti de bonis et malis (de Isid. et Osirid. 26).

Addo ceteras a Plutarcho explicatas Homeri fabulas. Versus Homeri de Solis bobus (Od. XII 395 sqq.) figmentum et fabulam appellat Plutarchus (de esu carnium I 1_3), ad audientium voluptatem scilicet factam. De Lycurgo quos affert Homerus versus (Il. VI 130 sqq.) pragmatico-allegorice Plutarchus interpretatur, vitium excisionem iis significari (de aud. poet. 1). In pugna deorum (Il. XX) Homerum Scamandro Vulcanum, Neptuno Apollinem physice magis quam fabulose opponere Plutarchus contendit (de prim. frigid. XIV 4). In quaestt. conv. IX 4_6 Plutarchus Ammonium, magistrum suum, facit Sirenum fabulam (Od. XII 41 sqq.) ethico-allegorice Platonis in modum explicantem.

Remedium igitur Plutarchus corrigendis Homeri carminibus adhibuit cum allegoria tum morum magistrum aut voluptatis affectatorem poetam intelligens, sed nunquam ad stoicorum aliorumque allegoristarum ineptias evectus est.

Ad sanandos mythos adduxit Plutarchum pietas in Homero perspecta, quam philosophus Chaeronensis nisi ratione discretam et comprobatam cogitare non potuit. A vera Homericae religionis intelligentia, quae naturae vitaeque bonos malosque eventus deorum numini attribuit nec potuit deos, nisi hominum similes intelligere, Plutarchus plane abhorruit. Quare ne repudiaret Homerum Platonis exemplum secutus, philosophiam suam imputare ei debuit.

Iis, quae dixi, loci qui adversari videntur, in nostram sententiam conveniunt accuratius inquisiti. Nam de communib. notit. XIV 2 Plutarchus similitudinem ab

Homero adhibitam ob impietatem vituperat, de Alex. fort. aut. virt. II 12 Epicureorum sententiam, versum Il. I 8 ad verbum accipiendum esse, refutat.

§ 2. De morali interpretatione.

Ut religionem, ita morales Homeri sensus ex suae aetatis consuetudine Plutarchus aestimat. Sententiam pronuntiat (de aud. poet. 3), imitatione poetas et bonas et absurdas ac nefarias res pingere. Absurdas quas iudicet poeta saepe arguit. 'Sic cum nullum alium nisi Paridem interdiu cum uxore concumbentem facit evidenter docet, se hoc de eo opprobrii et reprehensionis causa referre. Ob id maledictis saepe reprehensionem, bene dictis commendationem praemittit (de aud. poet. 4).' Aliis locis, quid senserit poeta, facile enucleari potest recta interpretatione vocabulorum *ἀρετή*, *κακότης*, *εὐδαιμονία*, a poeta diversissimis notionibus acceptorum (de aud. poet. 6). 'Ubi vero obscura est sententia, sic distinguendum est iis, qui attentum reddunt iuvenem. Si quidem Nausicaa peregrinum virum Ulixem conspicata eodemque quo Calypso erga eum modo affecta haec ad ancillas stulte loquitur

Αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη
ἐνθάδε ναιετάων, καί οἱ ἅδοι αὐτόθι μίμνειν·

reprehensionem audacia euis meretur et impudicitia. Sin ex sermone viri ingenium perspiciens, admirataque alloquium euis ita prudens, optat talem sibi potius maritum, quam navicularium aliquem et saltatorem civem, admirationem meretur. Item Penelopa cum procis comiter colloquente, iisque vestimenta et alium mundum donantibus, Ulixes laetatur (Od. XVIII 280 sqq.)

οὕνεκα τῶν μὲν δῶρα παρέλκετο, θέλγε δὲ θυμόν.

Hic si Ulixes muneribus et lucro gaudet, Poliagrum quoque in comoediis, uxoris lenocinio infamem su-

perat. Sin eos magis in sua potestate fore ob spem arbitratur et quia nihil sibi in posterum metuerent, delectatio eius et animi confirmatio rationem habet. Rursum in numerandis donis, quae Phaeaces una cum ipso exposuerunt (Od. XIII v. 216 sqq.) indeque avecti sunt, si quidem hoc modo in solitudine constitutus et adeo ignarus incertusque quid de se factum esset, de iis tamen vere sollicitus est,

Μή τι οἱ οἴχωνται κοίλης ἐκ νηὸς ἔχοντες,

miseranda est, immo abominanda hominis avaritia. Quod si, ut nonnullorum fert opinio, an in Ithaca esset, ambigens, quod salva essent dona, id pro argumento integritatis Phaeacum accipit, neque inepto utitur argumento, et prudentiam par est laudari (de aud. poet. 8).'

Apparet ex his locorum Homericorum explicationibus, Plutarchum in heroibus Homericis cogitationes consiliaque quaerere, quae plane abhorreant a nativa temporum Homericorum sinceritate. Sed iis locis, ubi aevi heroici mores cum iis omnium temporum congruunt Plutarchus eximio ingenii acumine omnes animorum motus dilucide enucleat et ad illustrandas suas sententias adhibet. Ex Achillis et Thersitis, Deomedis et Stheneli verbis contrariis modestiae adhortationem, ex Troianorum temeritate comparata cum Achivorum moderatione, ex Diomedis modestia comparata cum Dolonis magniloquentia moderationis laudem eruit (de aud. poet. 10). Simili ratione virtutis et probitatis commendationem colligit ex heroum exemplis (de aud. poet. 11). 'Nam Ulixes ignominiam magis abominat, quam mortem (Il. XI 313), Achilles omnem irae causam diligentissime cavet (Il. XIV 560 sqq.). Ulixes non modo suam adversus procos indignationem comprimit, verum etiam Telemachum admonet, ut sit tranquillus et moderatus (Od. XVI 274 sqq.).'

Placita moralia Plutarchus in Homeri versibus re-

perit quam plurima, sic in versu Il. VI 436 placitum videt, fortitudinem doceri posse, in Od. III 20, Il. XXIII 570, XVII 170 probitatem, in Il. VI 160 sqq. Od. III 265, 266 castitatem, in Il. XVI 422 et XIII 121, 122 fortitudinem a sapientia proficisci. Etiam ex iis, quae absurditatis et pravitatis suspecta sunt, commodi aliquid et utilitatis trahit. 'Agamemnon non avaritia ductus a divite Echepolo equam Aetham accepit eique militiae vacationem concessit, sed, ut ait Aristoteles, bonam equam tali viro praeferens (de aud. poet. 12, Agesil. 9, *apophth. Lacon. Agesil. Magn. 12, An vitiositas ad infel. sufficiat 5, bruta ratione uti IV 8). Rursum turpissime videtur Thetis filium ad voluptatem exhortari et rei venereae admonere. Verum hic quoque ab altera parte continentia Achillis consideranda est, qui amata et ad se redeunte Briseide abstinet, cum sciret, sibi vitae finem instare (de aud. poet. 12).'

'Sed unum aliquod dictum etiam ad plures usus accommodari potest. Sic ex versibus Il. III 39 et XVII 141 concludi potest, corporis et fortunae bona non magni esse aestimanda. Idem eo comprobatur, quod in congressionibus et compellationibus non formosos aut divites aut robustos heroes sese appellant, sed animi virtutes collaudant, tum in conviciando non ea quae corporis sunt, incessunt, sed vitiis reprehensiones inferunt. Sic Homerus deridet eos, quos claudicationis, caecitatis aut similium pudet, neque vituperabile ducens, quod turpe non sit, neque turpe, cuius non penes nos, sed penes fortunam est causa (de aud. poet. 13).'

Iam in Homeri versibus placita et sententiae philosophorum per involucra leguntur, sic in Hectoris verbis (Il. XI 542)

Αἴαντος ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο·

(*sapient. conv. 21), item in versibus Il. V 428/9

Τέκνον ἐμόν, οὔ τοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο·

et (Il. XI 543)

Ζεὺς γάρ τοι νεμεσᾷ, ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιο

(de aud. poet. 14) placitum *γνῶθι σαυτόν* requiritur, et ex Ulixis verbis (Il. X 249)

Τυδείδη, μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε, μήτε τι νείκει

placitum *μηδὲν ἄγαν* derivatur.

Eadem ratione Plutarchus in omnibus scriptis suis Homerum excutit ad comprobandas suas sententias easque exemplis illustrandas. Longum est, id in omnibus Plutarchi locis comprobare. Satis habeo, locos huc pertinentes in unum collatos hic proferre. Sunt hi loci: de adulatore et amico 11, 22, 26, 32, 33, de inimicorum utilitate 3, de amicorum multitudine 4, *de consolatione ad Apollonium 6, 7, 12, 17, 24, 30, 31, coniugalia praecepta 5, 21, 23, 38, de superstitione 8, de virtute morali 4, 7, 10, 12, de cohibenda ira 1, 4, 5, 6, 14, de tranquillitate animi 2, 4, 11, 12, 16, de fraterno amore 6, 9, 14, 15, de amore prolis 2, de garrulitate 4, 8, 22, de curiositate 2, 9, de cupiditate divitiarum 9, de vitioso pudore 2, de invidia et odio 5, de se ipso citra invidiam laudando 4, 5, 6, 11, 12, 13, 15, 16, de sera numinis vindicta 7, quaest. conv. I 1$_4$, I 2$_3$, VII 6, I 2$_4$6, II 1$_2$3, III praef., III 6$_4$, VII 4$_6$5$_4$, IX 1, V 4$_2$, an seni sit gerenda resp. 8, 9, 22, praecepta gerendae rei publicae 5, 13, 14, 19, 26, 28, de solert. animal. 14, bruta ratione uti 6$_6$, adversus Coloten 2, *de musica 2, 40, 42, 43.

Praecepta amicitiae, amoris, publicae privataeque vitae, notae veritatis, odii, invidiae, curiositatis, garulitatis, cupiditatis, falsi pudoris et aliarum ethicarum institutionum e verbis factisque heroum Homericorum diligentissime his locis enucleantur, sed tempora Homerica saepe false e cultioris aetatis moribus aestimantur et loci e connexu

soluti in luxatum sensum detorquentur. Nestorem, Achillem, Ulixem, Diomedem, Aiacem, Menelaum, Phoenicem, Meleagrum, Bellerophontem, Thersitem, Sthenelum Penelopam, Helenam exempla vel petenda vel fugienda Plutarchus non desinit his locis commemorare.

Ut moralia, ita etiam alia intelligentiae vel experientiae decreta Plutarchus ex Homero comprobat. In primis quaestiones convivales, quae verbis et sententiis Homericis confertae sunt, illius temporis consuetudinem arguunt, ad Homerum, quasi omnium scientiarum thesaurum refugiendi. De mortuorum animis quae dicit Homerus (Od. XI 221 et 660 sqq.), Plutarchus philosophice accipit (non posse suav. vivi sec. Epic. 28_6, et de facie in orbe lunae $30_{5\,6}$). Quaerimonias poetae de rerum humanarum fragilitate (Il. VI 146 sqq.) ad corpus violationibus obnoxium Plutarchus refert (non posse suav. vivi sec. Epic. 5_7). Homeri verba, omnium animalium miserrimum esse hominem (Il. XVII 446 sqq.), ad infantem inprimis spectare Plutarchus censet (de amore prolis 3), vel generaliter in homines, quod sint ad animi libidines maxime proni (animine an corporis affectiones sint peiores 1). Denique quamcunque Plutarchus ansam cupide arripit ad comprobandum, iam Homeri verbis suas sententias pronuntiari. In primis ob id notandus est locus (de ει apud Delphos 6), ubi Theon in Homeri versu Il. I 70 syllogismi logici notitiam invenit. Iocose quoque Homeri verba laudantur vel vituperantur. Sic Pammenes Thebanus Nestorem cavillans rei militaris ignarum appellat, quod Graecorum non amatores et amatos, sed genera et cognationes constitisset (Il. II 365) (Pelop. 18, Amator. 17, quaest. conv. I 2, 6).

Experientiae decreta ex Homero Plutarchus colligit quam plurima, in quibus sententiam, vitae contemptum fortes non decere (Pelop. 1), ‘fortitudinem saepe impetu

furioso ferri furoreque agi (Pyrrh. 22),' excellentium virorum aemulationem et disceptationem rei publicae nonnunquam utilitatem ferre (Agesil. 5), reverentiam magistratuum praecipue a timore proficisci (Cleom. 9), eos, qui rei familiaris studium omittant, iniustis rebus victum suum exercere (Aristid. et Caton. mai. comparatio. 3), aspectum nitidorum armorum animum augere (Philop. 9).

Sic Homeri auctoritate, quae commendare vult, Plutarchus confirmare studet. De musica cum quaerit, utilitatem eius artis, tempus ad eam adhibendam idoneum, locis Homericis illustrat (*de musica 2, 40, 42, 43). De amore animalium erga prolem (de amore prolis 2, 4), de nonnullorum ex iis magnanimitate (de solert. aminal. 15_2) eximiaque indole (bruta ratione uti 3_{14}) Homeri carmina testimonia afferunt quam plurima. Cum insulas laudare vult (de exilio 10), iam Homerum eas laudasse demonstrat.

Sic Plutarchi sub manibus divinus ille poeta philosophi speciem induit, qui philosophiam moralem Plutarchi in modum docet, sed poeticis figuris exornatam. Homerus hanc laudem recusare debet. Neque enim stoicam aut epicuream aut neoplatonicam et neopythagoricam Plutarchi philosophiam docet, sed homines nobis profert simplicissimos et ab omni philosophandi subtilitate longe remotos.

Videmus igitur Plutarchum in interpretatione religiosarum et moralium Homeri cogitationum difficultates et offensiones carminum solutionibus removentem in modum grammaticorum et philosophorum, qui *ἐνστατικοί* et *λυτικοί* sunt dicti (cfr. Wolf. Prolegg. XL fin., XLII annot., Lehrs: de Aristarchi studiis homericis diss. III c. 4), quorum inde a Theagene Rhegino usque ad ultima antiquitatis tempora permagnus numerus exstitit. Solutiones cum ipse invenit, tum ex scriptis de hac re pervulgatis

accepit. Aristotelis, Heraclidis Pontici, Dicaearchi προβλήματα vel ἀπορήματα non ignoravit (non posse suav. viri sec. Epic. 12) et Aristotelis ἀπορήματα (de aud. poet. 12) ad explicandos Homeri versus (ψ 297 sqq.) adhibuit, quod recte iam vidit Sengebusch. (I p. 75) contra Lehrsium (Arist. p. 227). In scriptis stoicorum, Cleanthis (de aud. poet. 11), Chrysippi (de stoicor. repugn. XXXIV_5 et XLVII, de aud. poet. 11), Cratetis Mallotae (de facie in orbe lunae XXV_4) versatum se praebet. Cetera scripta huc pertinentia cum non afferat, tamen eum novisse suspicari possumus, cum perraro fontes, e quibus hausit, nominatim appellet. In Homeri interpretatione Plutarchum fere nullam respexisse nisi moralem utilitatem, etiam eo comprobatur, quod homines, qui capite carentes Homeri versus colligerent, tragica ista exsecratione dignos putat:

Ὄλοιο θνητῶν ἐκλέγων τὰς συμφοράς

(de curiositate 10). Qua sententia etiam Homeri vituperatores, Zoilum aliosque Plutarchus repudiat. Zoilo adversatur etiam quaest. conv. V_{42}.

§ 3. De interpretatione, quae ad res physicas, astronomicas, medicas, cetera pertinet.

In philosophica carminum Homericorum interpretatione cum criticam Aristarchi rationem Plutarchus reiceret, etiam in rerum physicarum, geographicarum, ceterarum explicatione nullo negotio ad Cratetem Mallotam Pergamenamque disciplinam se applicuit, qui criticae artis minime curiosi 'multiplices artes Pergamenas Homero imputaverunt eumque in philosophum, mathematicum, astronomum, geographum et quidvis potius, quam quod ipse esse voluerat, converterunt' (Wolf. c. LI, Lehrs. p. 240). Quare iterum iterumque Plutarchus ad Homeri

versus quasi ad reconditae atque exquisitae doctrinae thesaurum accedit, ut inde fidem addat suis decretis.

Physica.

Thaletis placitum, aquam principium esse omnium rerum, in Homeri versu Il. XIV 246

Ὠκεανὸς, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται

Plutarchus retegit (*de placit. philos. I 3 5) laudatque versum a Cratete adiectum, in nostris editionibus non scriptum

ἀνδράσιν ἠδὲ θεοῖς, πλείστην ἐπὶ γαῖαν ἵησιν

(de facie in orbe lunae XXV4).

Porro Plutarchus (de Iside et Osiride 34) refert, Homerum et Thaletem id placitum ab Aegyptorum sacerdotibus aecepisse.

(De *ει* apud Delphos 13 et de defectu oracul. 23). Homerum affert sententiae adstipulantem (Il. XV 190 sqq.), mundum quinque partibus confici. Aristarchi rectam interpretationem (cfr. Lehrs: Arist. p. 167 sqq.) negligens, falsam Homero de partium distributione opinionem subicit (cfr. de primo frigido IX), extremas duas partes esse olympum et terram, in medio sitas aerem, aquam, caelum.

Stoicorum sententiam, Homerum locis Od. IX 143 et Il. XVII 649 aerem causam frigoris significare (de primo frigido IX) Plutarchus reicit, Od. V 469 aquam, frigoris fontem recte nominatum esse contendens (de primo frigido XVI4).

(De primo frigd. XVII 10) Plutarchus opinionem profert, 'terram a poetis nigram ea semper ratione appellari, quod tenebricosa sit et luminis expers.'

Placita physica ex Homero comprobat Plutarchus (quaestt. conv. I 9) dulcem aquam melius quam marinam maculas vestium eluere, (II 9) bovis iugulati pellem vali-

diorem esse quam morbo consumpti (Il. III 375), (III 10_2), solem igneo suo fervore humorem e corporibus eripere (Il. XXIII 190), (quaestt. natur. 5) salsuginem amaram esse (Od. V 322 sqq.), (quaestt. natur. 20) apro irato calorem ad oculos accidere (Od. XIX 446).

(De facie in orbe lunae XXI 11) de Homeri maris observatione Plutarchus praedicat: 'Maris colores conatus est Homerus utcunque nominibus exponere, mare violae vinique rubri specie praeditum dicens, et alibi glaucum, undam purpuream, tranquillitatem albam, quae vero terrae accidunt diversitates colorum, alias aliter accidentium, omisit; quod nimirum immensus eorum esset numerus.'

(De solert. anim. XXII 4) Sacrum piscem Homerus (Il. XVI 407) anthiam appellare videtur; pro magno piscem sacrum quidam interpretantur, alii sacrum eum intelligunt, qui liber ac dimissus est, utpote alicuius numinis tutelae consecratus (§ 6). Plerique tamen anthiam putant sacrum itaque dici, quod ubi anthias apparet, nulla est belua (cfr. Plin. h. n. IX § 70, Aelian. V. H. VIII 28).

De scopis, quas affert Homerus (Od. V 66), e loco (quaestt. conv. VII 52_5) comperimus, eas saltando capi (cfr. Aelian. h. an. XV 28, Athen. IX p. 391, Plin. h. n. X c. 70).

Amator. 4_9 Plutarchus annotat, aquilam quandam germanam et montanam esse, quam Homerus nigram et venatricem (Il. XXI 252) vocasset, alia esse spuriarum genera.

Physicum Plutarchus Homerum putat etiam ob quaedam vocabula ab eo adhibita, sic cum *μιαίνεσθαι* contaminandi nomen pro tingere ponit (Il. IV 141) (de *ει* apud Delphos 20, quaestt. conv. VIII 5_9).

Versum Od. VII 107

Καιροσέων δ' ὀθονῶν ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον

Theon grammaticus (de Pythiae oraculis 4) de accurata texturae subtilitate accipit, quae oleum non transmittat.

A dulci diversum esse suavem saporem Homerus (quaestt. conv. III 7 1 4) pronuntiare dicitur verbis Od. XX 69

Τυρῷ καὶ μέλιτι γλυκερῷ, καὶ ἡδέϊ οἴνῳ·

Vinum enim cum ab initio sit dulce, suave temporis successu fieri, quando concoctione sapor eius in austerum mutetur, ipsumque veterascat.

(quaestt. conv. III X 3 17) Plutarchus annotat, aes ab Homero titulis euenoris et noropis affectum esse, quod visu adiuvando hominibus prosit; ‘nam in secturis aerariis quae a chalcitide abit favilla et in palpebras occulte incidit, ea fluxus reprimit eoque lippitudinem solvit.’

De vocabulis *διερός*, *ἰαίνεσθαι*, *ῥιγεδανός*, *κρυερός* Plutarchus dicit (quaestt. conv. VIII X III 10, 11): ‘Eleganter solet Homerus homines *διεροὺς*, id est, humidos sive succulentos appellare, et gaudium *ἰαίνεσθαι* (cfr. de primo frigido VI et XXII 2), quod est concalescere, contra *ῥιγεδανόν* et *κρυερόν*, quasi rigoris efficax et frigoris, quod triste sit aut formidandum. Nam vigent adolescuntque plantae et animalia ab humore aut calore, contraque iis frigus et siccitas perniciem afferunt.’ Vocabulum *διερός* Aristarchus de vivo accepit, quam interpretationem Lehrsius (Arist. diss. II c. I § 2) falsam declarat.

(Quaestt. natur. XXI 4.) Aristotelis annotationem profert, aprum ab Homero *χλούνην* dictum esse, quod unicum haberet testem, plerorumque enim aprorum, dum truncis sese adfricant, elidi testes.

De solert. animal. XXIV 6 eorum, qui (Il. XXIV

80 sqq.) κέρας pro crine accipiunt, opinio reicitur et Aristoteles affertur, qui κέρας corniculum interpretatur, quo a piscium morsu funiculi muniantur.

De defectu oraculorum 47 Homeri σιδήρου κράτος (Od. IX v. 391 sqq.) de robore et crassitie intelligitur, quam ferrum igni laxatum acquirit in aquam recentem immersum.

Astronomica.

Quod Homerus νύκτα θοήν cognominat fecisse id dicitur (de facie in orbe lunae 6, de defectu oraculorum 3) observatione adductus, umbram terrae turbinis seu metae figuram habere.

E versu Od. IV 503

Ἀλλ' εἰς ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης

Homeri sententia colligitur ea, terminum et finem terrae esse, ubi umbra terrae desinat ingruere (de facie in orbe lunae XXVII 5).

E verbis Od. XIV 162

Τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦ δ' ἱσταμένοιο

recte Solon Homeri cognitionem perspexisse dicitur (Solon. 25), saepe eadem die lunam solem assequi et praevertere.

De facie in orbe lunae XIX 4 Homeri verba (Od. XX 352, 357, XIV 162, XIX 307) ad solis defectum transferuntur, quae ab hoc sensu plane abhorrent.

Medica.

Iniectis amaris effici, ut vulnera coeant, Homerus (versibus Il. XI 845 sqq.) pronuntiare dicitur (quaestt. conv. I VI 44). (Quaestt. conv. V 4) Achillem, Chironis discipulum rei medicae non ignarum fuisse colligitur inde, quod (Il. IX 203) Ulixi et Phoenici senibus validiorem potum (ζωρότερον δὲ κέραιρε) apparari iubet,

quod (Il. II 775) equis otiosis inter alia pabula apium praebet, ne pedes morbo laederentur, quod ipse corpori suo desidens in otio facillimam rationem victus ut saluberrimam procurat nec est vinosus.

(Quaestt. conv. IV 1_3) Homeri peritia laudatur, quod (Il. I 49) recte pronuntiet, pestem bruta primum invadere.

(Quaestt. conv. VIII $9_{2\,12}$) e verbis *κύνα λυσσητῆρα* (Il. VIII 299) colligitur, Homero morbum aquae timoris notum fuisse.

Geographica.

Rectam Eratosthenis, Aristarchi, Apollodori geographiae Homericae interpretationem, Homerum modo Graeciae bonam cognitionem habuisse, alias regiones, in quibus Aegyptum et Lybiam non novisse, Plutarchus refutare videtur et abit in partes Hellanici, Ephori, Callisthenis, Zenonis, Cratetis Mallotae, Strabonis, qui Homero notitiam populorum locorumque remotissimorum tribuunt (Lehrs Arist. diss. II c. V). Quod testantur hi loci:

(Marcell. XX_4) 'Templum Engyi a Cretensibus positum ferunt, ostentabanturque hastae et galeae aeneae Merionis et Ulixae inscriptione, qui eas deabus dedicassent.' Engyium oppidum iam ante Homeri aetatem floruisse his verbis Plutarchus pronuntiat.

In narrationibus de Cimbrorum origine propagatis Plutarchus (Marc. 11) etiam coniecturam affert, Cimbros esss Cimmerios, quorum terram in extremis ad mare exterius partibus sitam, umbrosam et silvestrem Homerus fabula in Necyia de Cimmeriis prolata depinxisset (Od. XI 14 sqq).

Plutarchus Elysios campos et beatorum quam descripsit Homerus habitationem in Atlanticis insulis a

nautis Sertorio ob fecunditatem et frugum abundantiam laudatis suspicatur (Sertor. 8).

Addo alios locos ad geographiam Homericam pertinentes.

(Themist. 8) Artemisio opponitur Olizon in ea terra posita, cuius dominus fuit quondam Philoctetes.

(Arat. 45) Plutarchus refert, Homeri *ἐρατεινὴν Μαντίνειαν* (Il. II 607) ab Arato Antigoneam appellatam esse.

(De Iside et Osirid. 39) Plutarchus annotat:

'Pharum certe, quam Homerus cursu unius diei abesse ab Aegypto norat (Od. IV 355 sqq.), nunc partem esse Aegyti constat; non quod ipsa suo loco mota accesserit, sed quod mare intermedium flumine opplente et complanante continenti adiecta est'.

Mythologica.

(* De Herodoti malignitate XIV_3) 'Homerus Phoenicii Herculis nullam habet mentionem, sed unum illum novit Herculem simul Boeotium et Argivum.

(quaestt. conv. V 4_2) Chiron Achillem artem medicam et (*de musica XL) artem musicam docuisse fertur.

(Thes. c. 16) Minos ab Homero Iovis discipulus appelatus a tragicis magna macula aspersus est, quasi ferus et violentus.

(Thes. c. 25) 'Theseum primum fuisse in plebem, ut auctor est Aristoteles, propensum, et dominatum deposuisse, testari Homerum quoque in Navium Catalogo apparet, qui solos Athenienses populum (*δῆμος* Il. II 547) vocat.'

(quaestt. Graec. 14) Ab Eumaco Coliadarum apud Ithacenses genus, a Philoetio Bucolicorum originem ducit.

(de defectu oraculor. 14). 'In Creta Plutarchi temporibus sacrum peragebatur, in quo etiam simulacrum

viri capite truncatum ostendebatur. Hunc fuisse Molum, Merionis (Il. XIII 246) patrem, aiebant, qui cum nympham vi compressisset, absque capite inventus fuisset.'

De cultu et victu heroum.

(De aud. pat. 10) Troiani ad proelium eunt cum clamore (Il. III v. 2) et ferocia, Achivi vero alto cum silentio et duces suos metuentes.

(de defectu oraculor. 3) Heroas corpora sua solitos laevigare novacula, eo quod apud Homerum in mentionem novaculae (Il. X. 173 *ξυρόν*) inciderunt, grammatici comprobant et antiquum esse, pecuniam in fenore ponere docent, quod apud eundem quidam dicit (Od. III 367) *χρέος ὀφέλλεσθαι οὔτε νέον, οὐδ' ὀλίγον.*

(Thes. 5) Plutarchus Homeri verba *ὄπιθεν κομόωντες* (Il. II 542) de Abantibus posita ita interpretatur: Abantes sinciput totondisse, quod bellatores essent comminusque pugnarent, ne hostibus capillos prehendendi commoditatem praeberent.

(*VII sapient. conv. 13) ex Homeri loco (Il. IV 261 sqq.) mos propinandi colligitur et certa heroas Homericos mensura bibisse atque edisse, quod idem facete vituperatur quaestt. conv. II 10 (cfr. Od. XI 184).

(De Iside et Osiride VII et quaestt. conv. VIII 8₃) observationem Plutarchus affert iam a Platone factam (cfr. Seng. I p. 125), heroas Homericos non uti piscibus, nisi inopia coactos.

(quaestt. conv. IV 4 ₃ et VII ₇) cepa potus condimentum ab heroibus adhibetur (Il. XI 630).

(quaestt. conv. VII 8,4₅) 'citbara antiquitus et iam inde ab Homeri temporibus amica convivii est (Od. I 153, VIII, 248 *κιθαρίς*, Od. XVII 271 *φόρμιγξ*).'

(quaestt. conv. VII 9) In cena et inter pocula iam

heroes Homerici consultare et ultimo Mercurio libare soliti sunt (Il. VII 324, IX 70, 74, 75, Od. VII 138).

(Thes. c. 25) Plutarchus vocabulum *ἑκατόμβοιον* de nummis inciso bove signatis intelligit. Quod idem e Schol. Venet. B ad Z 236 colligitur, cum in Schol. Venet. A ad Z 236 *ἑκατόμβοιον* recte explicatur, quod centum bobus aestimatur.

(quaestt. conv. VIII 6₄) Theon grammaticus *ἄριστον* idem quod *ἀκράτισμα* esse contendit eoque cenam matutinam significari colligit e Od. XVI 2, *δεῖπνον* de cena accipit, quae vel peractis iam rebus, vel inter agendum comedatur, afferens versum Il. XI 86. Inde perspici non potest, num *δεῖπνον* etiam pro *δόρπον* Homerum posuisse Theon crediderit, quae vocabula recte Aristarchus disiungit (Lehrs Arist. p. 127).

De vocabulorum Homericorum interpretatione.

(Phocion 2.) *Τὸ ἡδὺ μενοεικὲς ὁ ποιητὴς κέκληκεν, ὡς τῷ ἡδομένῳ τῆς ψυχῆς ὑπεῖκον, καὶ μὴ μαχόμενον μηδ' ἀντιτυποῦν.*

(de aud. poet. 6.) *Ῥιγεδανὴ κακοθάνατός ἐστιν. Δάνον γὰρ Μακεδόνες τὸν θάνατον καλοῦσι· Καμμονίην δὲ νίκην Αἰολεῖς, τὴν ἐξ ἐπιμονῆς καὶ καρτερίας. Δρύοπες δὲ Πόπους τοὺς δαίμονας.* Absurdae vocabulorum *ῥιγεδανός, καμμονίη,* ceterorum etymologiae, non peculiare Plutarchi, sed commune antiquitatis vitium arguunt. Ridicula verborum *ἄριστον* et *δεῖπνον* veriloquia (quaestt. conv. VIII 6 ₄) a Lampria etymologiis etiam vesanioribus illuduntur.

(de ει apud Delphos 20) *Ἀπόλλων* explicatur *οἷον ἀρνούμενος τὰ πολλὰ καὶ τὸ πλῆθος ἀποφάσκων ἐστίν, Ἰήϊος* (Il. XV 365) *ὡς εἷς καὶ μόνος, Φοῖβον δὲ* (Il. IV 141) *τὸ καθαρὸν καὶ ἁγνὸν οἱ παλαιοὶ πᾶν ὠνόμαζον.*

(de prim. frigid. IX 4) *Κνέφας τὸν ἀφωτίστον ἀέρα καλοῦσι, κενὸν, ὡς ἔοικε, φάους ὄντα, καὶ νέφος ἀποφάσει φωτὸς κέκληται.*

(de solert. animal. XXIV 2) *Τοὔνομα ἔλαφος πεποίηται παρώνυμον, οὐ τῆς ἐλαφρότητος, ἀλλὰ τῆς ἕλξεως τοῦ ὄφεως.* Angues a cervis naris strepitu attrahi legitur etiam Plin. VIII 350.

(de amic. mult. 2.) *Ὅμηρος ἀγαπητὸν υἱὸν ὀνομάζει* (Il. IX 482) *μοῦνον τηλύγετον, τουτέστι, μὴ ἔχουσιν ἕτερον γονεῦσι μήτε ἕξουσι γεγεννημένον.*

(*quaestt. Rom. 109) *Μυλήφατον ὁ ποιητὴς ἄλφιτον ἐκ μεταφορᾶς ὠνόμασεν, ὥσπερ φονευόμενον ἐν τῷ ἀλέτῳ καὶ φθειρόμενον.*

(quaestt. Graec. 36) *Βοῶπιν ὁ ποιητὴς λέγει τὴν μεγαλόφθαλμον, καὶ βουγάϊον τὸν μεγάλαυχον.*

(de Isid. et Osirid. 26) *Ἀκούομεν Ὁμήρου τοὺς μὲν ἀγαθοὺς διαφόρως θεοειδέας ἑκάστοτε καλοῦντος καὶ ἀντιθέους καὶ θεῶν ἄπο μήδε' ἔχοντας· τῷ δ' ἀπὸ τῶν δαιμόνων προσρήματι χρωμένου κοινῶς ἐπί τε χρηστῶν καὶ φαύλων.*

(de defect. oraculor. 10.) *Ὅμηρος φαίνεται κοινῶς ἀμφοτέροις χρώμενος τοῖς ὀνόμασι, καὶ τοὺς θεοὺς ἔστιν ὅτε δαίμονας προσαγορεύων. Ἡσίοδος δὲ καθαρῶς καὶ διωρισμένως πρῶτος ἐξέθηκε τῶν λογικῶν τέσσαρα γένη, θεοὺς, εἶτα δαίμονας πολλοὺς κἀγαθοὺς, εἶτα ἥρωας, εἶτα ἀνθρώπους, τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων.*

(de Isid. et Osirid. 36, de placit. philos. I 3 19) Ternario saepe multiplex notari dicitur, ut in *τρισμάκαρες.*

(de garrulitate 10) *Ἔπεα πτερόεντα φησὶν ὁ ποιητής· οὔτε γὰρ πτηνὸν ἐκ τῶν χειρῶν ἀφέντα ῥᾴδιόν ἐστιν αὖθις κατασχεῖν, οὔτε λόγον ἐκ τοῦ στόματος προέμενον, κρατῆσαι καὶ συλλαβεῖν δυνατὸν, ἀλλὰ φέρεται 'λαιψηρὰ κυκλώσας πτερὰ,' δι' ἄλλων ἐπ' ἄλλους σκιδνάμενος:*

(Frgm. VI ex opere de anima 2) *Τὴν βίαν ὠνόμασαν βίον, ὥσπερ τὴν ἑσπέραν Ὅμηρος ἕσπερον; ἑσπέρα* legitur modo Od. XVII 191.

(quaestt. conv. VI 7 1_6) Vocabuli *διατρύγιος* etymon *τρύξ* i. e. faex eruitur et vocabula *αἴθοψ*, *ἐρυθρος* ad vinum non colatum et ob id caliginosum referuntur (VI 72_3), *αἴθοψ* recte de vini splendore et perluciditate intelligitur, cum idem nomen aeri adiecisset Homerus, quod alias *εὐήνωρ* et *νῶροψ* appellasset.

(quaestt. conv. VI 8 1_4) 'Narrat Metrodorus in Ionicis, Smyrnaeos, quippe qui fuissent antiquitus Aeolenses, sacrificare Bubrosti (*βούβρωστις* legitur Il. XXIV 532) taurum nigrum, concisumque in frusta, una cum ipsa pelle, igni totum cremare.'

(quaestt. conv. VII 1_3) In versibus Il. XXII 325, 328, 329 *λευκανίη* pro cibi, *ἀσφάραγος* pro spiritus canali recte accipiuntur, in Od. IX 373 *φάρυγξ* false arteria explicatur, cum generaliter ibi fauces significet.

(Amator. 23_7) Homerus scite coniugum concubitum amicitiae (*φιλότης*) voce ornasse dicitur, cum uxoribus initia sint amicitiae hae communicationes.

(cum principib. philosoph. 1) *Ἀκούομεν Ὁμήρου τὸν Μίνω "θεοῦ ὀαριστὴν" ἀποκαλοῦντος· τοῦτο δέ ἐστιν, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, ὁμιλητὴν καὶ μαθητήν.*

(ad principem ineruditum 4_4) *Αἰδοίους προσαγορεύουσι τοὺς βασιλεῖς· μάλιστα γὰρ αἰδεῖσθαι προσήκει τοῖς ἥκιστα φοβουμένοις.* Homerus verbis *αἰδοῖος βασιλεύς* non regem verecundum, sed venerandum intellegi vult, quod recte etiam vidit Plutarchus alio loco (Cleom. 8).

(de solert. animal. XXVI 2) Plutarchus dicit, recte Homerum retium quoddam genus *πανάγραν* (cfr. Il. V 487 *λίνου πανάγρου*) appellasse.

(de fac. in orbe lun. 5_2) *Ψολόεντας κεραυνοὺς* cfr. Od. XXIII 330, XXIV 539) poetas fulminum id

genus appellare Plutarchus contendit, quod ut luna sit mixtura confusioque aeris caliginosi et ignis.

Grammatica.

(De ει apud Delphos 5) Particulam *θήν* in Homeri versu Il. XVII 29 nihil significare false contenditur.

Plutarchus annotat (de prof. in virt. 9), Homerum in primo operis versu carminis leges neglexisse.

(quaestt. conv. IX 3 3) Zopyrion grammaticus temere evenisse ait, ut primus Iliadis versus totidem constet quot primus Odysseae syllabis.

(quaestt. conv. IX 15 2 4) Ammonius, Plutarchi magister, de poetarum elocutione haec dicit: *οἱ ποιηταὶ τοῖς κυρίοις ὀνόμασι δεικτικῶς χρῶνται, τὸν Ἀχιλλέα καὶ τὸν Ὀδυσσέα, καὶ τὴν γῆν καὶ τὸν οὐρανὸν ὀνομάζοντες, ὡς ὑπὸ τῶν πολλῶν λέγονται· πρὸς δὲ τὰς ἐμφάσεις καὶ τὰς μιμήσεις καὶ ὀνοματοποιίαις χρῶνται καὶ μεταφοραῖς, "κελαρύζειν καὶ καχλάζειν"* (*κελαρύζειν* nonnullis Homeri loci legitur, *καχλάζειν* non legitur cfr. Seber Ind. Hom.) *τὰ κλώμενα τῶν ῥευμάτων λέγοντες, καὶ τὰ βέλη φέρεσθαι "λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι* (Il. XI 574, XV 317)" *τὴν ἰσόῤῥοπον μάχην "ἴσας ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχεν"* (Il. XI 72, Schol. Ven. A. Aristarchus huius loci eandem quam Plutarchus affert lectionem et interpretatur: *ἰσοκέφαλος ἦν αὐτοῖς ἡ μάχη,* alii legerunt *ἴσας δ' ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχον*). *πολλὰς δὲ καὶ συνθέσεις τῶν ὀνομάτων κατὰ μέλη μιμητικῶς σχηματίζουσιν, ὡς Ὅμηρος ἐπὶ τῆς ἱπποδρομίας* (Il. XXIII v. 503):

Ἅρματα δ' αὖ χαλκῷ πεπυκασμένα κασσιτέρῳ τε
ἵπποις ὠκυπόδεσσιν ἐπέτρεχον.

(quaestt. Platon. X 1) 'Homerus quasi iuvenili audacia ludens omnes orationis partes in hunc versum coniecit (Il. I 185):

Αὐτὸς ἰὼν κλισίηνδε τὸ σὸν γέρας· ὄφρ' εὖ εἰδῇς,

nam pronomen, participium, nomen, verbum, praepositio, articulus, coniunctio, adverbium in eo sunt: particula *δὲ* loco praepositionis *εἰς* posita, cum *κλισίηνδε* tale sit, quale est *Ἀθήναζε*.

(quaestt. Platon. X 2) *Ἔνιοι μόνα ταῦτα (ῥῆμα καὶ ὄνομα) μέρη τοῦ λόγου τίθενται· καὶ Ὅμηρος ἴσως τοῦτο βούλεται δηλοῦν ἑκάστοτε λέγων·*

ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν·

ἔπος γὰρ τὸ ῥῆμα καλεῖν εἴωθεν, ὥσπερ ἐν τούτοις (Od. XXIII 183)

Ὦ γύναι, ἦ μάλα τοῦτο ἔπος θυμαλγὲς ἔειπες

καὶ (Od. VIII 408 sqq.)

Χαῖρε, πάτερ, ὦ ξεῖνε, ἔπος δ' εἴπερ τι λέλεκται
δεινόν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι,

οὔτε γὰρ σύνδεσμον, οὔτ' ἄρθρον, οὔτε πρόθεσιν δεινόν ἐστι καὶ θυμαλγὲς εἰπεῖν, ἀλλὰ ῥῆμα πράξεως ἐμφαντικὸν αἰσχρᾶς, ἢ πάθους τινὸς ἀνεπιτηδείου.

(quaestt. Platon. X 3.) *Ὅμηρος ἐπέων κόσμῳ περιγενόμενος, ὀλίγοις τῶν ὀνομάτων ἄρθρα, ὥσπερ λαβὰς ἐκπώμασι δεομένοις ἢ λόφους κράνεσιν, ἐπιτίθησι· διὸ καὶ παράσημα τῶν ἐπῶν, ἐν οἷς ταῦτα ποιεῖ, γέγονεν, ὡς τό* (Il. XIV 459 sqq.):

Αἴαντι δὲ μάλιστα δαΐφρονι θυμὸν ὄρινε
τῷ Τελαμωνιάδῃ

καὶ τὸ (Il. XX 147):

Ποίεεν ὄφρα τὸ κῆτος ὑπεκπροφυγὼν ἀλέοιτο·

καὶ βραχέα πρὸς τούτοις ἕτερα· τοῖς δ' ἄλλοις μυρίοις οὖσιν ἄρθρου μὴ προσόντος, οὐδὲν εἰς σαφήνειαν οὐδὲ κάλλος ἡ φράσις βλάπτεται. De articulo ab Homero libenter omisso iam Aristarchus nonnulla recte observaverat (cfr. Wolf. Prolegg. XLIII annot. 76).

(quaestt. Platon. X 4) *Λόγος συνδέσμων ἐξαιρεθέντων πολλάκις ἐμπαθεστέραν καὶ κινητικωτέραν ἔχει δύναμιν· ὡς ὁ τοιοῦτος* (Il. XVIII 536 sqq.):

Ἄλλον ζωὸν ἔχουσα νεούτατον, ἄλλον ἄουτον,
ἄλλον τεθνειῶτα κατὰ μόθον ἕλκε ποδοῖϊν.

Elucet e locis, quos attuli, Plutarchum in interpretatione carminum Homericorum a recta Aristarchi via aberrasse et Homeri verba, cum multifariam in iis omnium scientiarum quaereret copiam, saepe in sensum ab Homeri simplicitate longe remotum detorsisse.

Qua falsa Homeri intelligentia etiam factum est, ut Plutarchus commune antiquitatis vitium secutus *ζητήματα* quae dicuntur i. e. inanes quaestiones ex Homero sumptas in scriptis praecipue convivalibus nugatoria subtilitate disceptaret. De hac re satis est, clarissimam Lehrsii dissertationem (Arist. diss. III c. IV) afferre, in qua etiam Plutarchi loci huc pertinentes satis accurate tractantur.

Restant loci Homerici a Plutarcho exornandae elocutionis causa adhibiti, quorum permagnus in omnibus Plutarchi scriptis numerus invenitur, cum cupidissime omnem occasionem arriperet, vocabulis, sententiarum figuris versibusque Homericis suas sententias et cogitationes pronuntiandi. Sunt loci Plutarchi huc spectantes:

Thes. 2 (Il. VII 281), Camill. 13 (Il. I 338 sqq.), Aristid. 7 (Il. XVI 97 sqq.), Fab. Maxim. 19 (*φιλοπτόλεμοι, ἀγέρωχοι* saepe in Iliade leguntur), Coriolan. 22 (Od. IV 246), Aemil. Paul. 1 (Il. XXIV 629), Marcell. 1 (Il. XIV 86, 87), Cat. mai. 15 (Il. I 251 sqq.), Philopoem. 1 et de educ. puer. 7 (Il. IX 443), Pyrrh. 13 et Cleom. 34 (Il. I 491 sqq.), Nicias 9, de aud. poet. 1 (Od. IV 230, Il. XIV 216), Agesil. 15 (Il. IV 175), Pompei. 29 (Il. XXII 207), 36 (Il. VI 211), 53 (Il. XV 189), 72 (Il. XI 544 sqq.), Demosth. 12 (Il. XX 467), Cic. 40 (Od. 190 sqq.), Arat. 45 (Il. II 607), Comparat. Anton. et Demetr. 3 (Il. III 380), Dion 18 (Od. XII 428), *de educat. puer. 10, de aud. poet. 1 (Od. XII),

de adulat. et amic. 7, 8 (Od. XVI 181), 14 (Il. X 249), 17 (Il. XVI 130), 28 (Il. IX 105), 36 (Il. VI 347), de profect. in virt. 8 (Il. IX 323), 10 (Od. VI 187), 11 (Od. XXIV 402, Od. VI 187), de inimicor. utilit. 8 (Il. IV 350), de amicor multitud. 9 (Od. IV 384 sqq.), de fortuna 1, *consol. ad Apoll. 26 (Od. I 423, XVIII 305, Il. XXIII 109), de sanitate praecepta 1 (Il. XI 514, Od. IV 392), 8 (Od. XIV 10), 20 (Od. V 267). *VII sapient. conv. 6 (Od. XIII 13), 21 (Il. VII 293), de superstitione 11 (Il. XXII 20), *apophthegm. lacon. Agesil. Magn. 4 (Il. I 527), 52 (Il. XXII 74), de mulierum virtutibus, prooem., quaestt. Roman. 61 (Il. XV 193), 62 (Od. XXIV 452), de fortun. Rom. 3 (Od. XI 41), 12 (Il. I 10, Od. XVIII 149), de Alex. fort. aut virt. I 1 (Il. IX 325/26), 12 (Il. XII 241), II 9 (Il. XI 265), Il. IV 125), 11 (Il. X 407), 12 (Il. I 112, XXIV 238, XIX 242 sqq., V 321, Od. XV 357), de gloria Atheniens. 2 (Il. II 547/8), 4 (Od. XIX 203), de Pythiae oracul. 12 (Od. III 1), 29 (Od. II 190), de defect. oraculor. 6 (Od. IV 140), 8 (Il. II 96 sqq.), 11 (Il. XX 8, 9), 23 (Od. XXI 397), 47 (Od. IX 390 sqq.), virtutem doceri posse 31 (Od. XV 323), de virtute morali 7 (Od. XII 168, 169), 12 (Il. VI 130 sqq.), de cohibend. ira 1 (Il. XXII 375), 9 (Od. XI 122), 13 (Od. XX 392), de tranq. animi 13 (Od. VI 130), 17 (Il. V 484), 18 (Od. XII 432 sqq.), de fraterno amore 7 (Il. IX 406 sqq.), 8 (Od. XIII 331), an vitios. ad infel. sufficiat 1 (Il. II 700), de garrulitate 3 (Il. V 226), 6 (Il. XIV 210 sqq.), 7 (Od XI 54), 12 (Il. X 457), 13 (Il. XXII 207), 15 (Il. X 435), de curiositate 1 (Il. VI 146), de cupidit. divit. 2 (Il. XV 453), 10 (Il. XXIII 259), 19 (Il. XIX 300), de sera numin. vind 12 (Il. II 495), 17 (Il. VI 146 sqq., Od. XXIV 5 sqq.), Frgmt. de immort. animi (Od. XII 432 sqq.), de exilio 12 (Il. XXI 59), consol. ad uxo-

rem 10 (Il. V 646), quaestt. conv. I 1_3 (Il. II 381), I 2_2 (Il. II 534), III 6_4 (Od. XI 245), IV 3_2 (Il. XVIII 492 sqq.), V prooem. (Il. I 156 sqq.), V 5 (Il. XI 7), VIII 1 (Il. XXIV 259), VIII 4 (Od. VI 163), VIII 8_3 (Od. IX 369), VIII 9_3 (Od. X 513), Amator. 18 (Epigr. XIII, Od. XIX 40), 21 (Il. XXIII 295), 24 (Od. VI 183), cum princip. philos. 1 (Od. XIII 404, 407 sqq., XVII 487), ad princip. inerud. 3 (Od. XIX 109 et 111), 4 (Il. X 184 sqq.), 5 (Il. XIX 242), an seni sit gerend. r. p. 9 (Od. XXIV 190 sqq., Il. VIII 453, XIX 165), 17 (Il. XVI 9), 19 (Il. XXII 71), 24 (Il. IX 443), 28 (*πινυτή*), praecept. ger. r. p. 1 (Il. IX 55 sqq., Il. IX 443), 19 (Il. XVII 157, IV 223), 26 (Od. V 350), 28 (Il. IV 130), de vit. aer. alien. 4 (Od. XI 578), 6 (Il. I 154), 8 (Od. V 264, 372, 346, 291, 295), *de Herodoti malign. 11 (Od. IV 499 sqq.), 43 (Od. XI 367), *de placit. philos. I 7_{10} (Il. III 179), IV 19 (Od. XVII 218), de facie in orbe lunae XXIV 9 (Il. XIX 352 sqq.), XXV 28 (Il. XX 65, VIII 16), XXVI 2 (Od. VII 244), de primo frig. XXII 2 (*θαλερός*), de sol. anim. VIII 2 (*δαήμονες*), VIII 3 (Od. XII 116, Il. V 85), XI (Il. XIV 216), XXXV 9 (Od. VI 162), XXXVI 7 (Il. IX 56) bruta ratione uti 3 (Il. II 278, Od. VIII 3, X 436 *θρα-' σὺς καὶ πτολίπορθος*), de esu carnium orat. II (Od. X 234), quaestt. Platon. 9 (Il. XI 64/5), de stoicorum repugnantiis II 2 (Od. IX 94), X 4 (Il. VI 407), stoicos absurdiora poetis dicere III (Od. XVI 172 sqq., XXIII 156 sqq.), VI (Od. XVI 273), de commun. notitiis XI 5 (Od. IV 392), XI 6 (Il. VI 234 sqq.), XI 8 (Od. X 239), XII 3 (Il. VIII 14), XIII 5 (Il. I, II 219), XXVIII 5 (Od. XVIII 211, Il. XIV 315 sqq.), non posse suav. vivi sec. Epic. II 5 (Od. XXII 6), II 6 (Od. VIII 246, 248), II 11 (Od. IV 605), XVII 2 (Od. VIII 173), XVII 7 (Il. V 341), XXIII (Od. V 410), XXVI (Il. XXII 390),

XXVI 5 (Il. IX 408 sqq.), XXVII 3 (Il. VII 99), adversus Coloten XXVI (Il. XX 250), de latenter vivendo VII 3 (Od. XI 218).

III. De textus Homerici a Plutarcho adhibiti forma ac pretio.

Locis Homericis a Plutarcho adhibitis in ordinem nostrorum librorum redactis et cum textu primae editionis Bekkerianae, qui ad criticum Aristarchi textum proxime accedit, conlatis apparet, Plutarchum persaepe non modo verba, sed etiam versus Homericos a nostris diversos legisse. Has lectionis diversitates, cum in critico apparatu Homeri a La Rochio editi sint annotatae, hic omnes proferre videtur supervacaneum esse. Satis puto e locis in primis memorabilibus causas harum discrepantiarum retegere eoque de lectionis Plutarcheae forma ac pretio recte iudicandi facere facultatem. Ac primum quidem Plutarchus cum Homeri verbis persaepe ad pronuntiandas suas sententias uteretur, versus Homericos suis cogitationibus verborumque connexui accommodare nonnunquam necesse habuit. Quare versus non necessarios omittere, duos versus in unum contrahere, enuntiatorum structuram pro constructionis necessitate immutare non dubitavit. Ad id illustrandum locos proferam, ubi Plutarchus versus Homericos in nostris editionibus aliis versibus disiunctos uno tenore scribit, vel duorum versuum partes in unum confert. Uno tenore leguntur Iliadis versus I 3, 5 (de aud. poet. 6), VI 227, 229 (de fraterno amore 14), IX 70, 74, 75 (de aud. poet. 10), quamquam versuum 71—73 notitiam arguit quaestt. conv. VII 9 11, IX 540, 542 (de aud. poet. 6), XIV 205, 209 (coniug. praecept. 38), XXII 68, 74, quorum interpositus versus 69 affertur (an seni sit ger. r. p. 19), (consol. ad.

Apol. 24), XXII 325, 328, 329 (quaestt. conv. VII 1 $_2$), XXIII 474, 478, 479 (de aud. poet. 13), XXIII 670, 673 (de se ipsum citra invid. laud. 13), XXIV 45, 46 (de vitioso pudore 2), XXIV 561, 569 (de aud. poet. 11), Odysseae versus III 247, 248, 249, 251 (quaestt. conv. II 1 $_3$), IV 242, 244 (quaestt. conv. I 1 $_4$), V 291, 295 (de vitando aere alieno 8 $_6$), VI 177 et XXIV 402 (de prof. in virt. 11), XIV 463, 464 in unum contracti, cum recte legitur quaestt. conv. III 1 $_1$, XVIII 130, 132 (consol. ad Apol. 6), XIX 109, 111 (ad principem ineruditum 3, 7). Ob sensus necessitatem in versu Il. XXIV 544 pro *Μάκαρος ἕδος* posuisse *μακάρων ἕδος* (de exilio 10) et versum Od. VIII 247 sponte commutasse videtur (de fortuna 3), cum recte afferat hunc versum quaestt. conv. II 5 $_1$.

Multo maiorem numerum discrepantiarum Plutarchus admisisse videtur memoria deceptus. Nam in magna voluminum excutiendorum difficultate, praesertim cum saepissime Homeri versus afferret, libenter Plutarchum ad memoriam confugisse et per se consentaneum est, et locis comprobatur nonnullis, qui dilucide memoriae lapsum arguunt. Cum (bruta ratione uti III 2) quae Alcinoo Ulixes narrat, Circae narrata perhibet, fortasse id licuit dialogi sarcinatori. Sed memoria fallitur Plutarchus (quaestt. conv. I 2 $_4$) versum Il. II 311 a Graecorum rege pronuntiatum referens, quem apud Homerum dicit Sarpedon, Lyciorum rex, item (de audiendo X) versum Od. XVII 222 procis tribuens a Melanthio adhibitum, (de adulatore et amico 33) versum Il. V 800 Agamemnoni ascribens a Minerva enuntiatum; porro cum (quaestt. conv. IX 13) pro versibus Il. III 92 et 93 versum 255, qui similem sensum praebet, versui 91 asserit eademque memoriae fraude versus 72 et 285 commutat. Cum pro versu Il. IV 13 legit

Νίκη μὲν δὴ φαίνετ' ἀρηιφίλου Μενελάου

dubitari petest, memoriae vitio an voluntate id fecerit, item cum (de se ipsum citr. invid. laud. 13) versus Il. XXIII 670, 673 inverso ordine profert. De facie in orbe lunae XXI 5 pro verbis nostrarum editionum Il. IX 213

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη καὶ φλὸξ ἐμαράνθη
ἀνθρακίην στορέσας

legit:

αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλὸξ
ἀνθρακίην στορέσασα

ni fallor memoria deceptus. Eadem de causa (quaestt. conv. V 8 1) versus Od. VII 115 et 116 conturbat, (consol. ad Apoll. 30) versus Il. XXIII 222, 223 cum versu XVII 37 conglutinat, (*VII sapient. conviv. 13) de Aiace carnis portiones distribuente praedicat, quae in nostris editionibus non leguntur.

Quare lectionis diversitates in Plutarcho inventae, quod casui saepe et libidini debentur, et a codicum fide longe abhorrent et in censum venire vix possunt. Accedit quod, ut supra demonstravimus, Plutarchus criticae artis minime curiosus, quae suae libidini convenirent, cupide arripuit et ob id textum Aristarchi criticis rationibus castigatum repudiare debuit. Quare versus nonnullos in nostris editionibus non scriptos vel ab Aristarcho notatos, Homericos affert et nonnunquam accipiendos contra Aristarchi auctoritatem defendit, quod in iis moralem sensum vel sapientiae reconditioris indicium perspexerat. Sic (de stoicorum repugnantiis XLVII 4) Chrysippi lectionem affert verba *ἢ ἀγαθὸν* versui Il. XV 109 apposita, quae in nostris editionibus non leguntur, (de aud. poet. 64) una cum versibus Il. XI 540, 541 versum

Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσα, [ἂν ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο·]

adhibet in nostris editionibus non positum, sed iam ab

Aristotele allatum (cfr. La Roche annotat. crit.), (de facie in orbe lunae XXV4) ab Aristarcho defendit versum a Cratete lectum

ἀνδράσιν ἠδὲ θεοῖς πλείστην ἐπὶ γαῖαν ἵησιν.

In primis memorabilis est locus (de aud. poet. 8), ubi quattuor versus afferuntur in codicibus nostris et scholiis non servati, qui post versum Il. IX 458 locum sibi vindicant:

Τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατακτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ·
ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ
δήμου θῆκε φάτιν, καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἀνθρώπων,
ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλεοίμην.

Hos versus ab Aristarcho eiectos sed ob moralem sensum accipiendos Plutarchus perhibet his verbis: *Ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχος ἐξεῖλε ταῦτα τὰ ἔπη φοβηθείς· ἔχει δὲ πρὸς τὸν καιρὸν ὀρθῶς, τοῦ Φοίνικος τὸν Ἀχιλλέα διδάσκοντος οἷόν ἐστιν ὀργή, καὶ ὅσα διὰ θυμὸν ἄνθρωποι τολμῶσι, μὴ χρώμενοι λογισμῷ, μηδὲ πειθόμενοι τοῖς παρηγοροῦσι.* Horum versuum secundus et tertius etiam afferuntur in vita Coriolani 32, versus quartus legitur de adulatore et amico 33. Aristarchum hos versus *διὰ τὸ ἀπρεπὲς* (cfr. Lehrs Arist. diss. V) eiecisse non probabile videtur. Nam quos repudiavit versus Aristarchus (cfr. Ludwich I p. 73) aut non recepit, cum codicum fide carerent, aut obelo notavit, nec vero eiecit. Quare cum neque in vulgari lectione neque in scholiis ullum vestigium horum versuum inveniatur, accipiendum puto, Aristarchum eos non invenisse in libris suis nec novisse omnino. Quid igitur sibi vult Plutarchi illa animadversio? De hac re ita statuendum puto: Plutarchus, cum hos versus ex abstruso exemplari ob moralem sensum arreptos non inveniret in editionibus sub Aristarchi nomine propagatis (cfr. Ludw. I p. 40), opinionem sibi finxit, Aristarchum eos eiecisse. Quare cum e textu nullius pretii hi versus

fluxisse videantur, nimia eos ab editoribus reverentia conservatos esse puto, et quod codicum fide careant, spurios reiciendos.

Plutarchum e fonte cuiusvis pretii lectiones suas hausisse etiam eo colligi potest, quod (quaest. conv. V 27) in versu Il. XXIII 884 lectionem ῥήμονες pro ῥ' ἥμονες absurdam non reicit, quod versuum Od. XI 630 (Thes. c. 20), Il. II 558 (Solon c. 10) interpolationis nullas affert causas, nisi famam popularem.

Inde perspicitur, ad textum Homeri restituendum in mole locorum a Plutarcho adhibitorum fructum requiri non posse, cum sint e textibus cuiusvis pretii arrepti.

Quare in philologica Homeri pertractatione necesse est missum faciamus Chaeronensem illum ob animi castitatem admirandum, sed ob criticae artis ignorationem reiciendum.

Theses.

1. De editione Homeri Aristotelica quae tradit Plutarchus (Alex. 8) historiae fide carent.

2. Quattuor versus:

Τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατακτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ·
ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ
δήμου θῆκε φάτιν, καὶ ὀνείδεα πολλ' ἀνθρώπων,
ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλεοίμην

a Plutarcho (de aud. poet. 8) Homero vindicati Plutarchi testimonio non satis accipiunt auctoritatis, ut in textum recipiantur.

Vita.

Hermannus Amoneit natus sum Gumbinnae pridie Kalendas Martias anni MDCCCLXI patre Augusto, qui ante quattuor annos de vita decessit, matre Magdalene de gente Kowalewski, qua adhuc viva gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium frequentavi Gumbinnense sub auspiciis Julii Arnoldt, viri doctissimi. Testimonium maturitatis adeptus autumno a. MDCCCLXXXI in academia Regimontana philologiae studiis operam dedi per quinque annos; per quinque semestria proseminarii, per tria seminarii philologici sodalis fui. Audivi hos viros inlustrissimos:

Bezzenberger, Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan †, Ludwich, Ruehl, Schade, Thiele, Walter,

quibus omnibus gratias ago quam maximas.